V. P. NICOLAI LANCICII

E SOCIETATE JESU

OPUSCULUM SPIRITUALE DECIMUM SEXTUM.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/defugapeccatorum0000vpni

V. P. NICOLAI LANCICII S
E SOCIETATE JESU

DE FUGA
PECCATORUM VENIALIUM

ET DE ADJUMENTIS

AD EA FUGIENDA ET VITANDA

CONDUCENTIBUS.

Editio recens emendata.

Cura PP. Societatis Jesu Collegii Cracoviensis.



CRACOVIAE.
E TYPOGRAPHIA W. L. ANCZYC & SOC.
1897.

48426

L. 2688.

V. P. Nicolai Lancicii S. J. Opusculum spirituale: decimum sextum: De fuga peccatorum venialium, denuo imprimi permittimus.

Cracoviae, d. 3. Junii 1897.

† ***Joannes,***
Princeps Episcopus.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Per hos triginta septem annos mei sacerdotii, perpetuo, voluntate Superiorum meorum, in variis provinciis et regnis fui director in spiritu bonarum animarum, tam saecularium quam religiosarum, ex variis ordinibus regularibus ad me. partim sponte, partim suorum superiorum iussu, consilii et auxilii causa accedentium. In hac occupatione agnovi magna Dei dona concessa illis bonis animabus, in plerisque tamen adverti, pauciora eis esse concessa quam quae divina liberalitas in eas effudisset, si particulari studio attendissent ad vitanda frequentia venialia peccata, praesertim cum plena deliberatione seu de industria commissa. Ideo commiseratione motus, scripsi hoc opusculum, ut persuaderem fugam omnium peccatorum venialium, tanquam impedimentorum ad multa Dei dona acquirenda. Utinam prosim. Vale.

Giczynii in Bohemia Anno 1637.

LIBER PRIMUS.

Quas ob causas fugienda et vitanda sunt venialia.

PROOEMIUM.

In pluribus opusculis meis indicavi initium vitae spiritualis et studium perfectionis aquirendae inchoandum esse a fuga et vitatione omnium peccatorum, etiam venialium, quantum cum divina gratia possunt vitari in hac naturae nostrae infirmitate et conditione vitae praesentis. Hoc autem nullo modo fieri potest, nisi praecedat magnum odium peccati. Quod odium duobus modis divina Maiestas dat hominibus:

1. Immediate per se, sine usu aliarum creaturarum, quibus tanquam instrumentis uti ordinarie solet. Sic Sancto Paulo Apostolo indidit odium sectae iudaicae per se solum [1]), sic multis aliis ut constat ex historiis ecclesiasticis.

2. Immediate et intrinsece per se, immediatione (ut loquuntur philosophi) agentis principa-

[1]) Act. IX. 22.

lis, sed non nisi cum instrumento extrinseco adhibito ab agente principali Domino Deo nostro. Haec autem instrumenta extrinseca sunt varia:

a) sunt concionatores zelosi, qui peccatorum gravitatem et fugam, non solo ore, sed etiam ex corde accenso, suis auditoribus persuadent;

b) sunt lectiones librorum spiritualium, per quas convertuntur multi, ut Beatus Ioannes Columbinus et Sanctus Pater noster Ignatius conversus est;

c) sunt exempla bona, quae etiam ad hoc multos perduxerunt;

d) sunt privata monita ex corde data, vel a confessariis, vel ab aliis;

e) sunt tribulationes et adversitates immissae et permissae a Deo, iuxta illud psalmi: *Cum occideret eos, quaerebant eum, ...et diluculo veniebant ad eum* [1]);

f) sunt piae considerationes gravitatis peccatorum. Harum aliquas proponam, ut lectores concipiant odium peccati, primo in genere, deinde in particulari; tum peccatorum mortalium, tum venialium; tum ut ipsi ea vitent, tum ut concionatores habeant materiam in concionibus et in confessionibus et in privatis colloquiis, eas saecularibus proponendi, ad ingenerandum eis odium peccatorum, et per ingeneratum odium perducendi eos ad tria:

[1]) Ps. LXXVII. 34.

α) ad cessationem a peccatis praeteritis;

β) ad mundandam conscientiam a peccatis commissis per compunctionem et confessionem;

γ) ad vitanda in posterum peccata pro tempore futuro, quantum in hac vita cum Dei gratia vitari possunt, modis a me explicatis in opusculo «De indiciis et gradibus profectus» et in alio «De quatuor F».

CAPUT I.

Omne peccatum est morte corporis peius.

Prima itaque *Consideratio* seu causa sit, quod omne peccatum tam mortale quam veniale, sit maius malum quam sit mors corporis. Mors corporis adeo est magnum malum, ut dicat sanctus Bernardus [1]), et nos experimur ita esse, «nihil «inter homines humano iudicio plus morte hor«reri». Est enim mors, ut ait Aristoteles [2]) et ipse Epicurus apud Laërtium [3]), «omnium malorum maxime horribilis». Ideoque merito eam vocat sanctus Chrysostomus [4]) «malorum omnium summam seu colophonem».

[1]) In festo SS. Petri et Pauli ser. II n. 4 fin. (P. l. CXXXIII. 410). [2]) Lib. III. Ethic. c. 9 (ed. Parisien. a. 1654, p. 45). [3]) *Diogenis Laërtii* De vitiis etc. (liber X. separatim editus Norimb. 1791) n. XXVII. §. 125 (Epist. ad Menaeceum). [4]) In Ps. CXXIV. (P. g. LV. p. 357 med).

Atqui minus malum est mori morte non tantum naturali, quam effugere nemo potest, sed etiam violenta et atroci millies, quam semel voluntarie seu deliberate peccare, tam mortaliter quam venialiter.

De mortali sic S. Augustinus [1]) exponens illa verba Christi, *Qui non odit... animam suam perdet eam* [2]): «Cum ergo causae articulus venerit, ut «haec conditio proponatur: aut faciendum esse «contra Dei praeceptum, aut ex hac vita mi«grandum, quorum duorum homo cogatur alte«rum eligere, comminante mortem persecutore — «ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vi«vere.»

De venialibus idem dicunt Sancti, potius nos debere mori quam mentiri, vel alterius famam denigrare, vel proferre unum verbum otiosum. Ideo Sanctus Thomas docet [3]) potius permittendam esse occisionem alterius vel sui, quam mentiendum. Et Sanctus Pater noster Ignatius in secundo modo seu gradu humilitatis ait: «ut nulla, vel humanae quantaecunque feli«citatis, vel propriae mortis conditione proposita, «adducar unquam ut culpam licet venialem tan«tum, decernam admittere». Quocirca mirum non est sanctam Catharinam Genuensem co-

---

[1]) In Joann. tract. LVI. c. 10. fin. (P. l. XXXV. 1767). [2]) Luc. XIV. 26; Ioann. XII. 25. [3]) II^a II^{ae} q. CX. a. 3 ad 4.

gnita gravitate et foeditate peccati venialis dixisse: «Certum habe, quod si quis cerneret «quam enorme unum tantum peccatum sit, potius «eligeret anima et corpore in succensa fornace «viva consistere, quam in se peccatum tolerare; «et si universum mare ignis esset: ad effugiendum «peccatum se se in medium eius, usque ad fundum «demergeret, neque inde unquam prodiret, si sciret, «quod prodiens peccatum esset in se conspe«cturus» [1]). Imo dicere solebat: «Qui perspiciunt «quanti momenti sit Dei offensa, non possunt «alium aestimare cruciatum neque alium infernum, «quam illam ipsam offensam: omnia alia huius«modi tormenta sunt in illius comparatione so«latia» [2]). Non miror ergo dictum esse a S. Edmundo archiepiscopo Cantuariensi: «Malo in«silire in rogum ardentem, quam peccatum ullum «sciens admittere in Deum meum». Merito ergo dixit sanctus Dorotheus: «Longe melius est, «et corpus tuum, et omnia corporea perire si«mul, quam laedi animam tuam, in re etiam mi«nima». Tales erant antiqui christiani, de quibus scribit sanctus Iustinus Martyr [3]). Ut hinc obiter discamus quam sit grave malum mentiri praesertim sacerdotibus, quorum os quotidie ingreditur ille qui de se dixit: *Ego sum via, veri-*

[1]) Vit. c. XII. (AA. SS. XLV. p. 163 D). [2]) «Vitae c. 24». [3]) *S. Iustinus Mart.*, Apol. I. n. 39. (P. gr. VI. p. 387), ubi dicit: «ne mentiamur, libenter, Christum confitendo, morimur».

tas et vita, et qui venit expugnare sathanam, quem appellare per ignominiam volens Christus Dominus, appellavit *mendacem et patrem eius* [1]); et inter laudes coelestis patriae et incolarum eius quorundam dicitur *in ore eorum non est inventum mendacium* [2]); et inter eos qui coelo indigni sunt, ponuntur *mendaces* [3]); et in catalogo aliorum scelestorum numerantur: *Foris canes, et venefici, et impudici, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium* [3]). Hinc confundi debemus valde, quod propter molestias, ut ita dicam infinitis partibus minores morte, Deum saepe offendimus, qui nec mortis metu id facere debemus, sicut antiqui christiani malebant mori quam mentiri; quanto magis maluissent mori quam detrahere? quia detractio est gravius peccatum mendacio officioso vel otioso. Proponamus ergo nunquam deinceps nos mendacio et detractione Deum offensuros ob Verbi pro nobis incarnati, quo cibamur quotidie, reverentiam, respectum, imo ob eum, quem ei debemus amorem. Nam, uti dicebat Beata Catharina Genuensis, «cogni«tissimum mihi est, quod quando amor purus, «vel exiguissimam imperfectionem deprehendit, «si Deus non averteret, in pulverem redigeretur, «non corpus modo, sed et anima, nisi esset im«mortalis» [4]). Magis mirum est, Aristotelem

[1]) Ioann. VIII. 44. [2]) Apoc. XIV. 5. [3]) Ibid. XXI. 8. Ibid. XXII. 15. [4]) «c. 15 vitae».

ethnicum scripsisse: «Melius est mori, quam fa-«cere aliquid contra bonum virtutis» [1]). Mirum ergo non est, S. Euphrasiam, teste Nicephoro damnatam ad prostibulum, quod idolis sacrificare nollet, cum ab impuro iuvene invaderetur, hac eum arte elusisse et pudori suo consuluisse et martyrium [inquit Cornelius a Lapide [2])] assecutam esse: «si inquit, mihi parcas, «docebo te pharmacum, quo perunctus, in praeliis nullo telo vel ferro laedi poteris». Ille promisit, si eius rei fidem faceret; tum illa: «In «me, inquit, cape experimentum». Atque cera cum oleo commixta inungens collum: «Feri, «inquit, illud quam potes validissime». Fecit iuvenis, et uno ictu caput ei resecuit. Ita maluit occidi, quam certi iuveni peccati esse occasio, etsi ipsa non peccasset si vim passa fuisset, et ille occidendo eam non peccavit, quia credens personae, quam fide dignam putabat, ictum illum existimabat illi non fore lethalem.

Ostendi iam, peccatum quodlibet, etiam veniale, esse peius morte et iactura omnium rerum temporalium. Nunc ostendam maiorem adhuc eius gravitatem quam sit mors et iactura rerum temporalium, ut agnita eius gravitate fugiamus illud. Nisi enim agnoscamus et penetremus bene eius gravitatem et foeditatem,

[1]) Lib. III. c. 1. De moribus (ed. Parisien. 1654. pag. 35).
[2]) In Gen. XXXII. 12. (vol. 12. pag. 293. col. 1).

non vitabimus illud eo modo, quo debemus et possumus in hac vita, modis infra explicandis. Ideo immorari debemus in considerationibus pluribus, eius gravitatem et foeditatem demonstrantibus. Nam, ut ait S. Thomas: «est proprium «rationali creaturae, quod per inquisitionem ra«tionis moveatur ad aliquid agendum» [1]). Ideo Deus ipse, naturae nostrae se accommodans, dum nos a malo abducit, per illuminationem intellectus nobis proponit consideranda ea, per quae videt, cognita rerum malarum malitia et bonarum bonitate, voluntatem nostram excitandam ad fugam mali et amorem boni.

CAPUT II.

Omne peccatum est peius inferno.

Secunda Consideratio, seu causa ob quam omne peccatum vitandum: quia est peius inferno. Nam in inferno tria sunt: damnati diaboli et animae humanae, poenae eorum, et ipse locus. Horum omnium Deus est causa positiva, quia et daemonum et animarum illarum et inferni et poenarum est creator et auctor; sive spectemus poenam sensus, sive poenas damni quas iustitia Dei infligit; at peccati auctor Deus non est nec esse potest. Ideo bene

[1]) II^{a} II^{ae}. q. LII. a. 1.

dixit sanctus Dionysius Areopagita: «Puniri non esse malum, sed fieri poena dignum» [1]). Imo, ut ait abbas Theodorus apud Cassianum: «In rebus humanis nihil malum dicendum est, «nisi peccatum solum, quod a bono Deo nos se«parans, malo facit diabolo copulari» [2]). Quod etiam Cicero agnovit docens, sapientem in adversis casibus, hoc se etiam solari «quod videt, «nullum malum esse nisi culpam» [3]). Quocirca etiamsi infernus haberet aliquam partem mali veri, tamen, cum, ut docet sanctus Thomas: «plus habeat de ratione mali culpa quam «poena» [4]), potius eligendae essent poenae inferni, quam committendum unum veniale peccatum, ab homine qui rectae rationis ductum sequitur; etiamsi Dei non esset habenda ratio, sed solius luminis naturae; sapientis enim est, inter duo mala minus eligere. Mirum ergo non est Sanctos magis abhorruisse a quovis peccato, etiam veniali, quam ab inferno, quia illud hoc iudicarunt esse peius et detestabilius. S. Anselmus scripsit: «Si hinc peccati pudorem, et «illinc cernerem inferni horrorem, et necessario «uni illorum haberem immergi, prius me in in«fernum mergerem, quam peccatum in me im«mitterem. Mallem purus a peccato et innocens

[1]) De div. nom. c. IV. §. XXII. (P. g. III. p. 723). [2]) Coll. VI. c. 3. init. (P. l. XLIX. p. 650). [3]) Tusc. lib. III. c. 16. pag. 486. (ed. Nobbe'i, Lipsiae 1849. a.). [4]) I^a. q. XLVIII. a. 6.

«gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus «coelorum regna tenere» [1]). Non est haec S. Anselmi sententia sine fundamento certo, quia, ut scribitur in vita B. Catharinae Genuensis, «fuit illi in spiritu demonstratum, multo «intolerabiliorem esse Dei offensam, quamlibet «exiguissimam, ipso Luciferi inferno. Praeterea, «videns quam gravis ea sit, tantus in corde «eius ignis exarsit, ut in morbum inciderit, et «pene extincta sit. Et dum alio tempore ipsi «interius ostensum esset, quantopere unum so«lummodo veniale peccatum noceret, novum su«stinuit impetum ignis adeo in corde exaestuan«tis, ut corpus eius perferre non valens, disrumpi «putaretur. Procul dubio, si Deus illi unum «eiuscemodi in ea demonstrasset e vestigio ani«mam reddidisset» [2]). Eadem, «non valens ullo «pacto Dei offensam videre, dixit Domino: «Non ««detrecto, quin omnia daemonia, cum universis ««illorum terroribus, et suppliciis mihi morienti «commonstres, nihil enim illa facio, cum intuitu ««offensae tuae licet minimae composita: quae ««tamen non potest esse minima, eo quod tua ««celsissima, Maiestas offendatur» [3]). Valde etiam hoc dicto B. Catharina Genuensis ostendit gravitatem et foeditatem peccati etiam minimi: quia aspectus daemonum est tam horrendus, ut

[1]) De simil. c. cxci. (P. l. clix. pag. 701). [2]) «Vitae [3]) II[a] II[ae] q. c. xii. (AA. SS. xlv. p. 163 B).

Deus Pater dixerit S. Catharinae Senensi: «Bene recolis quando semel daemonem in forma «sua tibi monstravi, quasi per ictum oculi, «postquam ad sensus corporeos restituta fuisti, «tu potius eligebas ire per unam viam igneam, «usque ad diem iudicii duraturam, quam amplius «eum intueri. Nihilominus licet eum videris «in brevissimo spatio temporis, adhuc ignoras «quantum est horribilis» [1]). Et ideo ibidem Deus Pater ei revelavit, damnatorum in inferno unam inter caeteras poenam esse, aspectum daemonum, «et eo, omnem eorum cruciatum mira«biliter augmentari atque duplicari». Et alia vice Deus Pater eidem Sanctae dixit: «Tu nosti, quod tantum horribilis est daemon, quod homines experti eligerent potius habere omnes poe«nas vitae praesentis, quam eum in sua figura «videre» [2]). Et S. Francisca Romana: «potius elegisset insilire in fornacem ardentem, «quam videre malignum spiritum, prout illum «videbat in diversis formis» [3]). Imo B. Catharina Genuensis viso diabolo, dixit: «fuisse sibi «talem aspectum intolerabilem, non propter me«tum diaboli, sed propter odiosam repugnantiam, «ita intolerabilem, ut se mallet in infernum «demersam, quam sustinere visionem tam defor«mem, tam distortam, et animae suae optime

[1]) Dial. c. xxxvii. [2]) Ibid. c. cxxxii. [3]) «Vitae l. v. c. 11».

«ordinatae, ac per omnia cum Deo concordanti «abominandam» [1]).

Non est hoc mirum, siquidem Daniel propheta viso angelo, quamvis bono et sibi faventi, *non remansit in eo fortitudo, et species eius immutata est, et emarcuit, nec habuit quidquam virium, et dissolutae sunt compages eius* [2]).

S. Antonius in Historia refert de religioso quodam, qui revocatus ad vitam, affirmabat se malle transire per mundum aliquem ardentem, quam iterum daemonia debere conspicere. In Speculo exemplorum scribitur de quodam religioso qui idcirco quod aspexisset daemonem, quasi in insaniam conversus, horribili coepit voce clamare: «Maledicta hora in qua religiosus factus sum» [3]). Et colligitur ex Scriptura ab effectibus [4]). Et Christus Dominus S. Birgittae sic dixit: «Si dae«monum horribilis deformitas videretur uti est, «anima videntis ex ipso visu extra sensum fie«ret, corpusque totum quasi hominis tremuli con«tremisceret; cor etiam totum quasi timore exi«nanitum moreretur; nec pedes sufficerent susten«tare membra reliqua» [5]). Et, ut dixit eidem alibi, ...«morereris per subitaneam mortem, propter ter«ribilem visionem daemonum» [6]). «Ideo, ut anima in

[1]) «Vitae c. L». [2]) Dan. X. 8, 16. [3]) «Dinstinct. IX. ex. 84». [4]) Habac. III. 5, 6; Job. XLI. tot. [5]) Revel. l. V. interr. 8. respons. 5. [6]) Ibid. l. II. c. 18 init.

«suo sensu stabilis permaneat, corque eius vigi-«let amore meo, et corpus ad laborandum in ser-«vitio meo sufficiat: occultatur daemonum de-«formitas, et, ut restringatur daemonum malitia «et conatus» [1]). Merito ergo S. Chrysostomus scripsit, daemonem, ob unum tantum peccatum adeo esse horribilem, ut si Deus illi permitteret «terribilem illum suum et horrendum «aspectum nobis ostendere, annon mente dimo-«veremur, et annon periremus? annon omnino «interiremus?» [2]).

Cum ergo quilibet peccans sit «daemon in-«carnatus» [sic enim eum appellavit Deus Pater coram S. Catharina Senensi [3])], imo cum peccatum, ut ait S. Chrysostomus, «daemone deterius sit» [4]): magis est foedus et horribilis et abominabilis peccator propter peccatum, quam daemon; ac proinde, si posset homo videri existens in peccato mortali, multo magis mallet, eum licet momentanee videns, eligere omnes poenas huius mundi, et ire per viam igneam usque ad diem iudicii, et repente mori, quam diutius talem aspectum ferre; imo mallet potius in infernum mergi, ut dixit B. Catharina Genuensis, «quandoquidem est peior

[1]) Revel. l. v. interr. 8. resp. 5. [2]) In Psal. XLI n. 5. (P. gr. LV. p. 162). [3]) Dial. c. CXXXII. [4]) In ep. ad Rom. hom. XXVIII. n. 2 ante med. (P. gr. LX pag. 651); et h. XXIX ad pop. (ed. Basil. a. 1521. tom IV. pag. 129).

daemone), si posset per solas poenas inferni, sine diaboli visione, liberari a visione hominis, tantum uno peccato mortali coinquinati.

Ingeniose observavit noster Baëza, «Chri«stum fuisse acrem in tollenda a se omni sus«picione peccati, dicendo: *quis ex vobis arguet «me de peccato?* atqui lenis est in tollenda a se «suspicione daemonii inhabitantis: *ego daemonium «non habeo.* Cur non magis se opposuit et dixit: ««Quis ex vobis arguet me de daemonio ha««bito?» Quia non sic horribile est viro iusto «daemonium habere, ac peccatum; hoc omni dae«monio horribilius est, et multo magis vitan«dum» [1]). Et B. Catharina Genuensis, hoc quoque dixit, ut scribitur in vita eius: «Quando «mihi concessum fuit intelligere quam pave«scenda sit umbra minimi actus, qui sit contra «Deum, nescio cur e vivis non excesserim. Tunc «dixi: «Non miror amplius infernum esse tam ««horrendum, siquidem conditus est propter pec«««catum»»; tamen repetens animo, quod mihi «ostensum est, non arbitror eum horrori pec«cati parem. Imo videtur mihi quod Deus «multo minorem ipsi horrorem indiderit: adeo «mihi terribilis apparet, vel umbra saltem pec«cati venialis. Et quid in huius comparatione erit «peccatum mortale? deinde tot cumulata? Plane «mihi persuadeo quod illa» (scilicet venialia)

[1]) «In Evang. t. III. l. XVIII. c. 8. §. 37».

»conspiciens anima, quamvis esset immortalis, »prae nimio dolore fieret mortalis. Nam sola »obscura, (notet hoc Lector et bene ponderet) »sola, inquam, obscura visio hac de re mihi oblata, »quae non nisi momentanea fuit, si paulo diu»tius durasset, licet corpus habuissem prorsus ada»mantinum, interiissem. Demum quicquid modis »omnibus in medium adduco respectu eius quod »mens mea agnovit, mendacium mihi videtur. »Dum haec perfecta visio me pene exanimasset, »omnis in corpore meo sanguis fuit congelatus, »tantamque debilitatem incurri, ut putarem mihi »ex hac vita migrandum. Sed bonitas Dei me »superstitem voluit ad eam enarrandam. Et [1]) affirmabat: »Si homo satis nosset gloriam Gio»riosissimae Virginis Mariae, eamque et volun»tate, et reipsa, et dispositione divina posside»ret, sicut ipsamet Domina nostra possidet, de»inde audiret: Oportet te cum ista gloria, scin»tillam imperfectionis ab omnipotentis Dei vo»luntate discrepantis in te cernere: certa sum »(modo dulcem hanc veritatem perspiceret) re»sponsurum: Nolo illam gloriam hac conditione, »quin potius relega me in infernum. Et [2]) dixit: »Cognitissimum mihi est, quod quando amor pu»rus vel exiguissimam imperfectionem deprehen»dit, si Deus non averteret, in pulverem redige»retur, non corpus modo sed et anima, nisi esset

[1]) C. 39. [2]) C. 15.

»immortalis. Et [1]) »Nisi me Deus servasset, agno»sco me ex visione peccati aeque fuisse moritu»ram, atque ex Dei visione: et utraque visio »omnem captum, ac virtutem humanam excedit: »nec est homo, cui non afferret mortem. Et [2]) »Illam Divinam essentiam tantae munditiae ac »puritatis perspicio, ut impossibile sit, vel extre»mam eius partem animo assequi: adeo ut homo »non nisi tenuissima imperfectione laborans, »prius se in mille tormenta ipse praecipitaret, »quam coram eo cum tali imperfectione compa»reret. Hinc anima intelligens Purgatorium ad »expiandas et diluendas imperfectiones constitu»tum, libens ad divinam dispositionem se in id »demittit, putatque admodum clementer secum »agi: et tamen Purgatorii acerbitas omnem in»tellectum humanum superat. Atqui anima amore »flagrans, pluris facit imperfectionem, quam Pur»gatorii paenam, licet usque adeo diram, ut »quidquid in hac vita cognoscere, eloqui, et ex»periri atque de ea re credere possumus, si cum »ipsamet comparetur, mihi videatur mendacium. »Unde tametsi haec sim coacta proferre, tamen »confundor, re tanta longe minus, quam cupie»bam, declarata«.

Hoc fuit iudicium de peccato veniali etiam S. Teresiae, quae in vita sua a se scripta sic ait [3]). »Faxit Deus, ut timeremus id, quod debe-

[1]) C. 29. [2]) C. 30. [3]) C. 25.

»mus timere, et intelligeremus, maius malum »posse advenire ab uno peccato veniali quam »a toto simul inferno, cum haec ipsissima sit »veritas«.

Non mirum ergo est, nostrum Fratrem Coadiutorem Alphonsum Rodriquez, ut in vita eius manu scripta legitur [1]) ita abhorruisse a quovis peccato veniali, ut cum ei sua deflenti peccata Christus Dominus apparuisset cum S. Francisco, et nonnullis aliis Sanctis, et S. Franciscus eum interrogasset, cur fleret? respondisset: »Quomodo non fleam, perspectam »habens gravitatem peccatorum meorum? quandoquidem unum veniale peccatum, contra Deum »commissum, meretur, ut tota vita defleatur. Quo »dicto, visio illa disparuit, et in eo nova quaedam lux remansit, quae tota vita duravit cum »odio omnis peccati: ut cum eius periculum se »offerret, cum maximo fervore a Deo peteret, ut potius poenam inferni pateretur, quam in unam »culpam venialem prolaberetur. Et ut dicitur [2]) »Inter monita, quae sibi praescripserat unum »fuit, ut tale propositum ter in die renovaret per longum tempus, et, si fieri posset, per horam »integram, praesertim in materia castitatis, ne un»quam ullum veniale peccatum contra illam admitteret«. Ideo quavis hora diei et noctis invocabat aliquem e Sanctis 24, quos 24 horis assi-

[1]) L. I. c. 3. [2]) L. 2. c. 6.

gnaverat invocandos, ut eorum precibus exoratus Deus, custodiret, seu praeservaret eum a peccatis. Confundamur ergo, si propter exiguas molestias, eas vel subterfugiendo, vel impatienter tolerando, Deum offendimus, quando Sancti maluissent supplicia subire inferni, quam semel peccare. Agnoscebant enim excellentiam Dei qui offenditur, et turpitudinem cuiusvis etiam venialis offensae, ideo malebant ardere in inferno, quam Deum etiam leviter offendere, ita illum amabant. Nam, ut ait S. Chrysostomus[1]): »Si Christum vere amaremus, uti amare oportet, iudicaremus utique amati offensionem »gehenna esse graviorem«. Et S. Ioannes Columbinus, uti scribitur in eius vita a Teo Delcaro, dicebat: »Si perfecte amaremus Deum, magis doleremus ob eius offensas, quam »ob nostri damnationem, quia magis eum debemus amare, quam nos«: Siquidem et Deus, ut ait S. Chrysostomus[2]), »magis nos amat, »quam nos ipsi nos amamus. Ei autem qui plus »amavit, plus debetur, inquit S. Gregorius »Nazianzenus«[3]).

[1]) Homil. 5. ad pop. [2]) Homil. 12. in 1. ep. ad Corinth. [3]) Orat. 2.

CAPUT III.

Omne peccatum habet quandam malitiam et offensam Dei quodam modo infinitam.

Tertia Consideratio, seu causa ob quam tam mortale quam veniale peccatum vitandum est, quia omne peccatum habet quandam infinitatem, etiam veniale, ut ait Suarez [1]). Non quidem in intrinseca ratione formali (etsi hoc etiam aliqui graves Theologi asserant infra citandi), quia haec, et ut privatio quaedam est bonitatis oppositae, et ratione bonitatis finitae qua privat, infinita non est, ut ita dicam, in esse physico; quia a creatura, nil intrinsece infinitum procedere potest, (quam ob causam etiam Christi merita, spectata sola ratione omnium operum eius, quae finita erant, et finito modo procedebant a Christo operante, non erant infinita intrinsece, et per se, ut docent Theologi [2]) sed ratione Personae infinitae operantis, etsi finito modo operaretur,: tamen peccatum quodvis ratione Dei infiniti, qui quovis peccato offenditur, et contra cuius honorem et reverentiam est, quodvis peccatum habet quandam moralem infinitatem, et ratione malitiae Deum offendentis.

[1]) T. I. in 3. p. disp. 4. s. 7. §. secunda ratio.
[2]) In 3. p. q. 1.

et ratione aversionis a Deo infinito; saltem aliquo ex his modis. Quod ostendo et authoritate, et ratione.

Inprimis quatuor Sancti ab Ecclesia canonizati hoc docent. Primus qui id docuit (teste Vasquez [1]) contrarium sentiente), est S. Anselmus [2]) et hinc probat S. Anselmus, non potuisse a pura creatura Deo satisfieri pro peccatis, quia peccata infinite offenderunt Deum, nulla autem satisfactio purae creaturae potest esse infinita, ac proinde aequivalens offensae satisfaciendae.

Idem docere S. Bonaventuram eandem ob causam fatetur Vasquez [3]), et citat S. Bonaventuram id asserentem [4]).

Idem docet S. Thomas non uno in loco. Nam [5]) ait: »Peccatum contra Deum commissum. »quandam infinitatem habet, ex infinitate Divi»nae Maiestatis: tanto enim offensa est gravior, »quanto maior est ille, in quem delinquitur«.

Et [6]) »Peccatum, inquit, in quantum est aver»sio ab incommutabili bono infinito, est infini»tum; et ideo ex parte aversionis respondet »peccato poena damni infinita, est enim amissio »infiniti boni, scilicet Dei. Ex parte autem con-

[1]) Tom I. in 3. p. disp. 2. n. 7. [2]) Lib. 4. Cur Deus homo c. 21. [3]) Ibidem num. 6. [4]) In d. 20. q. 3. in 2. ratione: sed contra. [5]) 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. [6]) 1. 2. q. 87. a. 4. in corp.

versionis inordinatae ad commutabile bonum »ex qua parte peccatum est finitum, quia ipsum »bonum commutabile est finitum) respondet ei poena sensus infinita, scilicet ratione durationis aeternae.

Idem ait [1] uti fatetur etiam Vasquez [2]).

Et S. P. N. Ignatius rogatus a P. Brandano Lusitano, quomodo Scholastici Societatis peccata venialia confiteri deberent, respondit ad septimam interrogationem debere etiam de minimis »peccatis hominem pura conscientia gaudentem confundi in praesentia Divina: considerando quod obiectum contra quod sunt peccata venialia est infinitum, quod illa aggravat in infi»nitum«. Haec S. Pater.

Sed his authoritatibus 4. Sanctorum magis me movit ipsius Dei Patris doctrina, quam revelavit S. Catharinae Senensi [3]), Quia Pius Secundus in Bulla Canonizationis S. Catharinae Senensis, et Urbanus VIII. in Officio Divino lectione sexta, primum a Cardinalibus SS. Rituum, deinde ab ipsomet approbato, dicit expresse: »Doctrina eius infusa, non acquisita fuit«. In nullo autem libro S. Catharinae Senensis sunt doctrinae divinitus infusae, nisi in solis Dialogis illius, quia nec in epistolis eius, nec in orationibus eius ab ea in raptu factis (quae sunt

[1]) In 4. d. 15. q. 1. a. 2. ad. 1. [2]) Tom I. in 3. p. disp. 2. c. 2. num. 9. 10. [3]) In dial. cap. 3.

annexae eius dialogis), ullum indicium extat, doctrinas in epistolis, et orationibus illis, esse divinitus infusas. At de Dialogis hoc certum est, quia initio eorum ab eius Confessario, titulo Beati in Sacro Ordine Praedicatorum insignito, (qui dialogos S. Catharinae dictante ipsa italice, ex italico sermone in latinum postea convertit) dicitur, Dialogos illos, »esse librum »Divinae doctrinae, datae per personam aterni »Patris, loquentis intellectui admirabilis, et almae »Virginis Catharinae de Senis, Iesu Christi »sponsae fidelissimae, conscriptum dictante ipsa, »vulgari sermone, dum esset in extasi, sive ra»ptu, et actualiter audiente, quid in ea loque»retur ipse Dominus, et coram pluribus refe»rente«. Ei ergo in raptu existenti haec dixit Deus Pater[1]: »An ignoras filia mea, quod omnes poenae quas anima sustinet, vel »sustinere potest in praesenti saeculo, nullo modo »condignae sunt, ad culpam etiam minimam pu»niendam, (hoc est expiandam)? Quoniam offensa »quae mihi fit, qui sum bonum infinitum, pro»cul dubio satisfactionem exigit infinitam«. Haec Deus Pater. Atqui si peccatum quodvis non esset aliquo modo infinitum, a Deo, qui iustus est, non exigeretur satisfactio infinita pro culpa etiam minima, cum in inferno peccata mortalia puniat minus quam mereantur, citra condignum.

[1]) Cap. 3. dial. initio.

Idem docent Theologi veteres, ipso Vasquez concedente id ab illis doceri [1]).

Ex recentioribus idem docet Suarez [2]). Quia, »inquit, ex dignitate personae offensae, revera »crescit malitia offensae, et quidem servata pro»portione magis quam ex dignitate et praestan»tia obiecti crescit bonitas moralis actus, hinc »fit, ut et peccatum ratione offensae habeat ma»litiam quandam infinitam secundum quid, cui »proinde etiam poena quaedam infinita secun»dum quid respondet, tum ex parte durationis, »tum ex parte ipsius boni amissi, et ut ea infi»nitas malitiae infinitate bonitatis moralis ex »obiecto infinito desumpta, qualis in pura crea-

[1]) Ricardus in 3. d. 20. q. 4. et 5. Capreolus in 4. d. 15. q. 1. a. 1. cont. 1, et ar. 3. Maior in 4. d. 14. q. 2. ad dub. 3. Ioannes Medina Codice de poenitentia trac. 3. q. 1. qui est de satisfactione q. 1. Caietanus 3. p. q. 1. 2. 2. §. ad alterum vero. Sotus 3. conclus. Ricardus de S. Victore l. de Incarnatione Verbi cap. 8. Alensis vero 3 p. q. 1. memb. 6. a. 2. et S. Bonaventura in 3. dist. 20. q. 4. et Ricardus ibi, et Ioannes Medina q. 1. de satisfactione, Gerson p. 3. operum tr. de vita Spirit. Lect. 1. Guliehmus Paris. tr. de Legibus cap. 21. (hi ultimi) dicunt malitiam, seu offensam peccati esse simpliciter infinitam, non tantum secundum quid ratione obiecti infiniti, uti Suarez et Tanner. [2]) Tom I. in 3 par. q. in disp. 4. fect. 7, Tan. in 3 p. disp. 1. q. 2. n. 108. et 1. 2. disp. 4. q. 1. d. 3. n. 55.

»tura consistere potest, exaequari nullo modo »possit, ut fusius [1]) declaratur«.

Ratio theologica huius doctrinae petenda est non praecise et simpliciter ex infinitate Dei, ut est bonum ut sic, sed ex natura offensae relata ad obiectum infinitum, vel terminata ab obiecto infinito. Ratio enim naturalis dictat, caeteris paribus, ea proportione crescere offensam, quo est maior persona quae offenditur. Pulchre hoc explicabat loquens de peccato veniali patricius Brixianus Societatis nostrae candidatus Alexander Luciagus, cum magna opinione sanctitatis in nostra domo professa Mediolanensi, dum se ad ingressum in Societatem pararet mortuus, sed Brixiae sepultus, et vita italice impressa sat magna, mundo commendatus, ob eximias virtutes, quae vivum exornabant. Hic inquam sanctus vir, ut de eo dixit in concione funebri Matthias Bellintanus, celebris concionator Capucinus in concione Mediolani impressa: Si, »inquit, constitutus ante Urbis Praetorem illi pi»lum e barba evellerem, iniuria eum afficerem; »maiore, si id facerem Episcopo: adhuc maiore, »si Cardinali, longe maiore, si Papae; maiore »maxime si Christo: sic, dum peccato Deus of»fenditur«. Cum ergo ea proportione crescat gravitas offensae, qua crescit excellentia personae, et pro magnitudine excessus personae, respectu

[1]) In 3 p. q. 1.

inferioris personae, etiam magnitudo augetur offensae: cum Deus infinities excedat omnem personam capacem iniuriae, quaevis offensa, etsi esset instar unius pili respectu Dei, ob Dei infinitam excellentiam, in genere moris (etsi non in physico, quod in creatura infinitum non est, nec potest esse, ut docet S. Thomas[1]) fit offensa infinita. Non sic opera bona meritoria, et satisfactoria, quae suam excellentiam, proportionem, et magnitudinis comparationem accipiunt non ex solo obiecto, propter quod fiunt praecise, sed etiam ex excellentia personae operantis. Et ideo Christi quodvis opus erat infiniti valoris secundum se, et simpliciter, (non tantum secundum quid) ob dignitatem Verbi infiniti in carne assumpta operantis, uti definivit Clemens[2]) cum dixisset Christum »non guttam sanguinis modicam, quae tamen, inquit, propter unionem ad »Verbum, pro redemtione totius generis humani »sufficisset, sed copiose velut quoddam profluvium effudisse, addit: Ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae »participes sunt effecti. Et infra: De cuius in»quit, consumptione, seu minutione, non est ali»quatenus formidandum: tam propter infinita »Christi merita (ut praedictum est) quam pro »eo, quod quanto plures applicatione trahuntur

[1]) I. 2. q. 87. a. 4. [2]) In Extravag. Unigenitus, de poenit et remiss.

»ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cu»mulus meritorum«. Quod est contra Scotum, et paucos cum eo sentientes, sed idem a S. Thoma, et communiter aliis Doctoribus asseritur constanter.

Atque ita quo offensus est maiori dignus reverentia, et dignior persona ac maior, eo offensa eius, et iniuria illi illata, ac peccatum maius est, quod includit Dei offensam, et iniuriam, etsi malitia et privatio bonitatis sit quid finitum in esse physico.

Nec tamen hinc sequitur, omnia peccata esse aequalia, si sunt infinita, quia unum infinitum non potest esse maius altero. Nam potest unum infinitum esse maius altero, non ibi ubi habet infinitatem, sed alibi, ut si superficies digitalis esset, sed longa infinite, posset illi addi ex parte crassitiei aliquid, ita ut fieret palmaris, et bipalmaris. Sic peccata quae sunt graviora in suo formali, sunt maiora, et per id magis offendunt Deum, sed in infinitate non crescunt, et in maioritate malitiae qua infinitae, saltem secundum quid, ratione obiecti infiniti. Vitanda sunt ergo etiam minima, ob suam moralem infinitatem, quam contrahunt offendendo Deum infinite sanctum, infinite bonum, infinito amore, cultu, et reverentia dignum: quia et ratione beneficiorum a Deo acceptorum, eius offensa est summa ingratitudo nostra, quibus dedit suam infinitam personam in Incarnatione, et dat in Eucharistia,

et promittit in visione beatificae fruitionis, et ratione iudicii finalis, quod merito timere debemus, ob tot offensas praeteritas; summa audacia, et impudentia, et temeritas est, velle novis modis eum irritare et offendere, cum non sciamus infallibili certitudine, nos eum nobis pro praeteritis offensis reddidisse placatum. Quocirca B. Catharina Genuensis, uti scribitur in eius vita [1]). »Quid putas, dicebat, praestarem: quan»tive facerem, etiamsi tot sanguineas lachrymas »profunderem, quot maris sunt guttae, ut satis»facerem pro peccatis meis? Arbitraris pro mi»nimo peccato satisfacerem? Nequaquam. Nam »si tantum paterer, atque tamdiu, quantum ipse »diabolus, ad haec tot cruciatus et martyria in »hoc tempore sustinerem, quotquot mente com»prehendi possunt, non crediderim, amorem posse »haec apud Deum significationis loco ducere, »neque invenire vocabulum huic negotio con»gruum«.

Merito ergo S. Thomas et Theologi supra citati hinc probant [2]) Incarnationem Dei, simpliciter necessariam fuisse ad perfectam et aequivalentem satisfactionem pro peccatis totius generis humani. Quia pura creatura ob infinitam offensam Dei infiniti non poterat perfecte et aequivalenter satisfacere pro peccatis infinitam Dei offensam continentibus. Quamvis enim non fue-

[1]) Cap. 39. [2]) 3. p. q. 1. ar. 2. ad. 3.

rit simpliciter necessaria Incarnatio Dei ex suppositione decreti creationis, uti nec ex suppositione peccati, seu in ordine ad reparationem generis humani, tum quia potuit Deus, absolute loquendo, hominem absque omni remedio relinquere perpetuae damnationi obnoxium, sicut reliquit angelos malos sine ullo remedio, est enim in operibus suis ad extra liber, et interitus horum, non Deo, sed eorum soli malitiae adscriptus fuisset; tum quia supposito decreto, et benigna voluntate Divina reparandi humanum genus, potuit Deus illud aliis modis reparare sine Incarnatione, ut optime dicit S. Thomas[1]) et S. Augustinus[2]) nimirum, vel condonando peccata, et gratiam conferendo, non requirendo ullam satisfactionem, ab unoquoque pro se, vel ab uno homine pro omnibus; quia tamen Deus ad ostendendum suum amorem erga humanum genus, ac peccati odium, voluit per satisfactionem rigidam reparari genus humanum, debuit per infinitae operationis opera satisfieri Deo infinito, offenso infinite. Quae satisfactio, cum non potuerit a pura creatura fieri, debuit fieri a Deo, Deus autem in se, cum non posset subire opera satisfactoria, debuit illi uniri creata aliqua natura rationalis, et quidem humana, convenienter ad reparandum genus humanum, ut in illa natura fieret satisfactio, a qua

[1]) 3. p. q. 1. art. 2. [2]) L. de agone Christiano. Cap. 11.

processit offensa, quod etiam erat redundaturum in maiorem gloriam humanae naturae, et commendationem misericordiae Dei, et ad confusionem daemonis, victi per inferiorem naturam, quam ipse vicerat antea.

Sed dicere potest aliquis, authores a me hic citatos, praesertim quatuor canonizatos, dum dicunt, peccatum habere malitiam infinitam, locutos esse de solo peccato mortali, non de veniali. Ergo non putarunt in peccato veniali esse malitiam infinitam.

Respondeo primo. Nullum ex quatuor canonizatis et aliis Theologis, quos citavi, asserere, solum peccatum mortale non vero veniale habere malitiam infinitam, sed eos absolute loqui de omni peccato. Nam ideo dicunt peccatum habere malitiam infinitam, »quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinae Maiestatis. Tanto enim, »inquiunt, offensa est gravior, quanto maior »est ille in quem delinquitur«. Ita S. Thomas[1]) et alii quidam magni Theologi[2]). Hoc autem reperitur in omni peccato. Nam etiam in peccato veniali, »quia committitur contra Dei voluntatem et praeceptum, est vera ratio offensae contra Deum«, ut fatetur Vasquez contrarium de infinitate peccati sentiens[3]), ubi tamen ait, »pec-

[1]) 3. p. q. 1. art. 2. [2]) Suar. 3. p. disp. 4. 5. 3. [3]) 1. 2. dis. 143. c. 1. et 3. p. disp. 2. c. 3. n. 22. et disp. 3. n. 4. et 5.

»catum veniale non esse offensam Dei secundum »quid, sed simpliciter, quia vere est contra prae»ceptum et voluntatem Dei, et non tantum prae»ter voluntatem et praeceptum illius, sed vere »esse offensam contra Deum, sicut mortale, ta»metsi non ita gravem«. Quo circa etiam in peccato veniali iudicio S. Thomae et aliorum est offensa infinita, quia offendit Divinam Maiestatem infinitam.

Respondeo secundo. Vasquez[1]) fatetur expresse S. Anselmum[2]) sensisse in peccato »esse offensam infinitam Dei«. Hanc autem infinitatem dicit ostendi a S. Anselmo: »Quia nec pro aliqua re mundi, nec pro omnibus »simul, peccatum sit committendum«. Atqui non tantum peccatum mortale, sed ne minimum veniale committendum est pro toto mundo, etiamsi esset spes conversionis omnium peccatorum mundi, quod nullus negat Theologorum.

Hinc S. Dorotheus[3]). »Longe melius esse »ait, et corpus et omnia corporea perire simul, »quam laedi animam in re etiam minima«: et ipse S. Anselmus[4]). »Si hinc peccati pudo»rem, et illinc cernerem inferni horrorem, et ne»cessario uni illorum haberem immergi, prius me »in infernum mergerem, quam peccatum in me »immitterem. Mallem purus a peccato« (loquitur

[1]) 3. p. disp. 2. c. 2. nu. 7. [2]) L. 1. c. 11. Deus homo c. 21. [3]) Ser. 20. [4]) L. de similitud. c. 190.

autem de omni peccato maculante animam, quam etiam veniale maculat et coinquinat, ideo illo solo inquinatus ad caelum non admittitur Apoc. 21. ult.) »et innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus, caelorum regna tenere«.

Deinde S. Ignatius de peccato solo veniali id dixit P. Brandano, quia de solis venialibus S. Ignatii exquisivit iudicium, quod legi scriptum in Romano Societatis Archivio. Deus quoque S. Catharinae etiam »de peccato veniali, et quidem minimo, dixit, exigere illud sa»tisfactionem infinitam, quod falsum esset, si non haberet iudicio Dei offensam infinitam, etiam minimum veniale. Ita enim amicorum suorum peccata venialia magis puniret quam mereantur, quod non est conforme Divinae clementiae et charitati, quae etiam inimicorum suorum in inferno minus peccata punit, quam promeriti sint, hoc est, ut loquuntur theologi, »citra condi»gnum«.

Ut autem persuadeam hanc de infinitate peccati venialis sententiam, a quatuor Sanctis canonizatis clare traditam, et ab aliis magnis authoribus, volo solvere evidenter, et solide argumenta contra illam, tum Vasquez, tum etiam P. Arrubalis mei Magistri, qui discipulus P. Gabrielis Vasquez, et postea collega fuit in theologia Compluti.

Primum argumentum: Tanta est malitia peccati, quanta est privatio oppositae bonitatis, ve

rectitudinis, vel contrarietatis cum natura rationali, vel alterius rei, (pro diversitate opinionum, in quo consistit essentia intrinseca peccati); sed haec est finita, sicut et bonitas, et alia, cuius est privatio, et cui commensuratur privatio (nam si unum contrariorum finitum sit, alterum etiam finitum esse debet), sunt finita. Ergo malitia peccati est finita.

Respondeo distinguendo: malitiam peccati respectu formae qua privat, esse tantam, quanta est forma, concedo maiorem; sed respectu obiecti quod offendit, nego maiorem. Ad haec autem duo diversa, peccatum posse referri, docet contrarium sentiens Vasquez [1]) ubi dictum suum explicat a simili: »Sicut, inquit, caecitas est priva»tio visus, ut formae contrariae; qua proxime »privat, coloris autem tanquam obiecti illius for»mae, scilicet visus, quo remote privat«: peccatum autem veniale, nisi remittatur, privat Deo suo modo in perpetuum; ideo punitur aeternum per accidens in eo, qui in peccato mortali moritur cum peccato veniali, ut docent theologi, cum S. Thoma [2]) et alii multi cum Suarez, Vasquez, Azor, et Tanner [3]) ni post mortem iustis dimitteretur (uti dimittitur in Purgatorio, ut ait S. Thomas q. 7. de malo a. 11. et alii communiter), nunquam admitteretur cum eo ul-

---

[1]) 1. 2. disp. 97. c. 2. n. 4. [2]) 1. 2. q. 87. a. 5. ad 2. [3]) 1. 2.

lus ad caelum Apoc. 21. ult. Qua de re sic Tanner[1]). »Tutius, inquit, et probabilius est dicere, »peccatum veniale coniunctum mortali personali, »in inferno puniri aeterna poena. Ita ex com»muni docet S. Thomas[2]) ubi concedit, »peccato veniali deberi poenam aeternam, si cum »mortali peccato inveniatur in aliquo damnato, »quia in inferno nulla potest esse remissio, et »aeternitas poenae non respondet quantitati cul»pae, sed irremissibilitati ipsius«. Idem docent alii ibi citati, et Valentia, Suarez, Vasquez, Azor, Salas.

Secundum argumentum: Ratio offensae, et aversionis a Deo est extra formalem rationem peccati, quae est malitia, et quid consequens naturam eius, et est posita in aversione a Deo, aut potius in ipso peccato, quatenus est contra Deum aliquomodo, vel quatenus ei displicet, et sic eum offendit, ut sic autem, aversio non privat proxime Deo, ut forma opposita, sicut caecitas privat proxime visu, non colore.

Respondeo: Transeat antecedens, nego consequentiam. Nam et ratio meriti, non est essentia actus boni, sed quid consequens bonitatem, tanquam passio essentiam, et est dignitas praemii. Sicut in peccatore contritionis actus est bonus tota morali bonitate, sed non meritorius,

[1]) 1. 2. disp. 4. q. 10. dub. 4. n. 75. Assertio.
[2]) Q. 87 1. 5. ad 2.

et fit meritorius, cum gratia infunditur peccatori, sine ulla mutatione sui intrinseca: et tamen in Christo, quamvis actus eius humanitatis erant finiti, meritum tamen eius actuum erat infinitum ratione personae infinitae, etsi modo finito operantis. Simili modo, etsi non tam excelso infinitatis gradu, offensa Dei in peccato erit infinita, non ex natura sua, sed ut relata ad obiectum infinitum, quod offendit, et a quo avertit, et cui contrariatur, ut legislatori, et a quo postulat pro sui expurgatione satisfactionem infinitam.

Tertium argumentum: Quantitas privationis ex forma qua proxime privat, non ex obiecto aut fine pensari debet; siquidem et finis ille nobis applicatur media qualitate et forma opposita; quare si ratio offensae ponatur in aversione a Deo, infinita esse non potest.

Respondeo: Nego antecedens; nam si quis rustico pilum maiorem e barba evellat, et minorem ex barba nobilis, aequalis sibi, magis offendit nobilem quam rusticum, licet forma qua privat rusticum, scilicet pilus, sit maior in se. Ergo non ex sola quantitate formae oppositae spectatur quantitas privationis, et offensae, sed ex natura sua, ut relata ad quantitatem dignitatis personae offensae, quae cum sit infinita in Deo, quodvis peccatum veniale erit infinitum in ratione offensae.

Quartum argumentum: Unum infinitum non

est maius altero; atqui peccatum unum est maius altero: ergo non habet infinitam malitiam.

Respondeo primo, multi negant maiorem, qui concedunt partes actu infinitas in quantitate, sed esto in naturalibus rebus esset vera maior, falsa est in moralibus. Nam certum est, quodvis opus Christi, fuisse infiniti valoris in ratione meriti, et satisfactionis, etsi in se consideratum, tanquam creatum quid, fuerit finitum, nec enim a creatura finita opus physicum potest procedere infinitum in esse physico, ut docet S. Thomas Tanner [1]) »Certum, inquit, est loquendo de bonitate intrinseca actuum Christi, eam et finitam »fuisse, et in uno actu maiorem, quam in alio, »tam ratione obiecti, quam aliarum circumstantiarum v. g. intensionis, durationis etc. ut recte Suarez loco citato. Quin etiam loquendo de »operibus Christi, ut ex Divina seu Christi ordinatione ad meritum destinata fuerunt, sic etiam »negandum non est, Christum plus meruisse, vel »satisfecisse toto vitae suae tempore, quam singulis operibus: itemque, aliquid effecisse, sive obtinuisse uno opere, et non alio, ut sumitur etiam »ex S. Thoma [2]) et infra q. 7. pluribus dicetur«. Unde bene subdit, inter opera Christi unum fuisse alio praestantius, etsi non intensive ratione personae operantis, quae erat infinita; »quae eodem

[1]) 3. p. q. 1. disp. 1. q. 2. dub. 93. n. 125. [2]) Quodlib. 2. a. 2.

»modo omnia et singula opera, et rursum tota »totum opus, et tota tanquam plura infinita plus »valebant extensive, quam unum aliquod eius »opus: sicut si essent duo subiecta habentia in»finitam albedinem, essent secundum latitudinem »intensionis aequalia inter se: nec unum alteri »additum faceret intensius, tamen secundum la»tudinem extensionis, utrumque simul maius, et »amplius quiddam esset, quam unum solum«. Ita Suarez [1]) et Tanner [2]). Simili ergo modo unum peccatum est maius altero extensive, sicut si essent duo rombi infiniti, posset unus esse crassior altero, non longior, et idem augeri magis in crassitie non in longitudine, quamquam et ipsa longitudo augeretur ratione crassitiei, sic et peccatum ratione offensae.

Quocirca ob hanc Divinae Maiestatis infinite a nobis offensae, infinitam excellentiam, bene dixit S. Hieronymus, seu S. Paulinus Episcopus Nolanus (utrique enim horum adscribitur) [3]). »Nescio an possimus leve ali»quod peccatum dicere, quod in Dei contem»ptum admittitur: estque ille prudentissimus, »qui non tam considerat quod iussum est, quam »quis iusserit: neque quantitatem imperii, sed »imperantis cogitat dignitatem«. Bene etiam B. Catharina Genuensis [4]) dicebat: »Apud

[1]) 3. p. t. 1. disp. 4. sect. 4. [2]) Disp. 1. q. 2. n. 122. [3]) Ep. 14. ad Celantiam. [4]) C. 10. Vitae.

»Deum nullum peccatum posse dici minimum, »et ne quidem magnum, sed maximum, cum sit »contra summam ipsius bonitatem«.

CAPUT IV.

Peccata venialia varie disponunt ad mortalia.

Quarta Consideratio, seu causa, ob quam vitanda sint etiam peccata venialia deliberata est, quia disponunt ad mortalia, quandoque, immo saepe etiam indeliberata, sed tamen voluntaria. Quod autem ad hoc disponant, patet experientia in multis; et docet S. Thomas[1]. »Sicut acci»dens, inquit, potest esse dispositio ad formam »substantialem, ita et peccatum veniale ad mor»tale«. Et in responso ad tertium, »peccatum, inquit, veniale per se disponit ad mortale«, quod in corpore articuli probat. Idem docet aliis in locis[2]). Porro peccatum veniale, ad mortale disponit, inquit idem S. Thomas[3]), »Primo ex »parte agentis: augmentata enim dispositione, »vel habitu, per actus venialium peccatorum, in »tantum potest libido peccandi crescere, quo ille »qui peccat finem suum constituat in peccato »veniali. Nam unicuique habenti habitum, in »quantum huiusmodi finis est operatio secundum

[1]) 1. 2. q. 88. a. 3. ad 1. [2]) 2. 2. q. 105. a. 1. ad 2. [3]) 1. 2. q. 88. a. 3. in corp.

»habitum: et sic multoties peccando venialiter, »disponetur ad peccatum mortale. Alio modo »peccatum veniale ex genere, removendo prohi»bens, potest disponere ad mortale. Qui enim »peccat venialiter ex genere, pretermittit aliquem »ordinem: et ex hoc quod consuescit voluntatem »suam in minoribus debito ordini non subjicere, »disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam »non subjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, »quod est peccatum mortale, ex genere«. Ideo inquit Caietanus ibidem: »A venialium con»suetudine cavendum est, ne habituatis in illis, »occurentes tentationes animos dispositos pro»pinque ad mortale inveniant«. Quod potissimum timendum est iis, qui deliberate peccata venialia solent committere. Nam, ut ait B. Laurentius Iustinianus[1]). »Peccati deliberata vo»luntas, ad universa flagitia proclivis esse co»gnoscitur«. Ideo B. Clara de Montefalco ut scribit in eius vita Baptista Pergilius[2]), »dicebat, eum qui considerate, seu data opera »venialia committit peccata, facile labi in ma»iora, scilicet mortalia«.

Qua de re sic Augustimus[3]). »Dum ho»mines negligentes despiciunt peccata sua, quia »parva sunt; crescentibus minutis peccatis, ad»duntur etiam crimina, et cumulum faciunt, et

[1]) L. de triumphali Christilagone Cap. 11. [2]) 2. p. cap. 16. [3]) Ser. 88. de temp.

»demergunt«. Arenae minutae similia sunt peccata venialia, sed et haec inducendo ad peccata mortalia, demergunt animas. Qua de re sic S. Augustinus scripsit[1]) exponens illa verba Psalmi: Multiplicatae sunt (iniquitates) super capillos capitis mei. »Quis, inquit, numerat capillos capitis sui? multo minus peccata quae excedunt numerum capillorum« (scilicet, venialia, nec enim in S. Davide tam multa erant mortalia, immo, ut infra videbimus, duo tantum peccata mortalia ab eo commissa sunt). »Minuta videntur sed multa sunt. Praecavisti magna, iam non facis adulterium, homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium: moles istae sunt peccatorum. Magna praecavisti: de minutis quid agis? An non times minuta? Proiecisti molem, vide, ne arena obruaris«. Est haec poena peccati: uti enim bene dicit S. Isidorus Hispalensis[2]): »Iudicio »Divino, in reatum nequius labuntur, qui distringere sua facta minora contemnunt«: eo quod per minora disponuntur, et veluti manu ducuntur ad maiora.

Adhuc magis S. Thomas id explicat, quia dicit: »Sicut aegritudo disponit ad mortem« [3]). Et ut idem docet[4]), »Sicut imperfectum differt »a perfecto, et puer a viro, ita differt veniale

[1]) In Psal. 39. [2]) l. 2. sent. cap. 19. [3]) 1. 2. q. 12. a. 5. [4]) 1. 2. q. 88. a. 6.

„a mortali«. Pondera singula breviter. Et ideo[1]) ait: »Peccatum veniale vergere in detrimentum »salutis, quia disponit ad mortale«. Origines[2]) peccata venialia vulneribus similia esse ait: »A»nima, inquit, quoties peccat, toties vulneratur. »O si possemus per unumquodque peccatum vi»dere, quomodo homo noster interior assidue »vulneratur? vulneratur per linguam anima, vul»neratur et per cogitationes, et concupiscentias »malas. Quae si omnia videre possemus, et vul»neratae animae sentire cicatrices, certum est, »quod usque ad mortem resisteremus adversus »peccatum«. Hoc est, mallemus occidi a socio, quam ob respectum eius peccare detrahendo, vel assensum eius detractioni praebendo, vel illum concitando ad aliquid cum peccato coniunctum, vel non impediendo ex obligatione charitatis quae in Theologia iuxta omnium sententiam obligat ad peccatum, monere peccantem si possis. Sic et S. Chrysostomus[3]) ait: »Quem»admodum in corporibus, quae vulnera neglexe»runt, febres gignunt, et putrefactiones, ac mor»tem denique; itidem in animis qui pusilla dissi»mulant, maiora invitant«. Similia habet S. Ioannes Damascenus in Vita SS. Iosaphat et Barlaam[4]). Immo, inquit S. Basilius[5]): »Peccatum longe gravius est, quam

[1]) 2. 2. q. 43. a. 7. ad. 5. [2]) H. 8 in num. [3]) In Cap. 1. Gal. [4]) Cap. 19. [5]) Or. 3. de peccato.

»sit vulnus aut cicatrix, aut plaga intumescens »ac inflammata«. Sed proh dolor! Etsi, »non »sola corporis vulnera«, ut ait S. Chrysostomus[1]) »dum negliguntur, inducunt mortem, sed »etiam ipsius animae: tamen tanta est inscitia »nostra, ut illius plagis accuratissime medeamur, »animae autem plagas (scilicet peccata venialia) »obstinate contemnamus«. Sed enucleatius hanc rem explicat noster P. Tanner ex doctrina S. Thomae[2]). »Disponit, inquit, directe et per se, »et indirecte ac per accidens. Directe quidem et »per se primo, quatenus generatim quendam Dei »ac rerum Divinarum neglectum sive negligen»tiam inducit. Secundo, quatenus saepius iterata »venialia in certa materia, v. g. furti, producunt »dispositionem seu habitum, quo animus ad »omnia eiusdem speciei peccata, etiam in mate»ria gravi ex se facile inclinatur: et insuper, »nonnunquam etiam ad peccata mortalia diver»sae speciei commitenda«. In quem sensum ait S. Thomas paulo ante citatus[3]) »Augmentata »dispositione vel habitu per actus peccatorum »venialium, in tantum potest libido peccandi »crescere, quod ille qui peccat, finem suum con»stituet in peccato veniali: nimirum, ob eundem »finem peccando etiam in materia alterius vitii »v. g. propter ludendi amorem, furando etc.«

[1]) Ep. 5. ad Theod. lapsum. [2]) 1. 2. disp. 4. q. 5. dub. 3. n. 55. 56. [3]) A. 3. in corp.

Tertio, addo ego, quatenus per malum venialiter usum sensuum et membrorum, datur causa tentationibus gravibus, quae perducunt ad consensum, et executionem peccati mortalis. Sic curiositas oculorum, primo venialis et parva negligentia, perduxit Davidem ad adulterium. »Sanctus David, inquit S. Thodorus Stu»dita [1]) conspecta casu coniuge curiose, quid pa»travit? norunt qui legunt«. Cum enim, inquit »Theodoretus [2]), simpliciter non curiose re»spexisset, vidit mulierem quae lavabatur, et »formae inescatus pulchritudine, devoravit ha»mum peccati. Non ex mali animi institutis, sed »fortuito, et casu quodam vulnus acceperat: so»cordiaeque ac negligentiae erat peccatum, non »malignitatis ac malitiae«. Pergamus cum Tanner reliqua dicere, quomodo per accidens peccata venialia disponant ad mortale. »Per acci»dens, inquit, et indirecte disponunt ad mortale, id est quatenus removent et impediunt prohi»bens, seu obstaculum peccati mortalis, tum fer»vorem scilicet charitatis, tum subinde etiam pe»culiaria quaedam auxilia gratiae divinae, quibus »alioqui homo a peccato mortali fuisset inhibi»tus. Secundo, quatenus minuunt et impediunt »aliquo modo timorem Dei, et promptum usum »virtutum, corrumpendo vel imminuendo etiam »earundem habitus acquisitos, ut suo loco de

[1]) Ser. 4. [2]) Q. 29. 2. Reg.

»virtutibus diximus«. Haec ibi Tanner. Supra autem idem Tanner dixerat [1]): »In qua re, inquit, certum est primo, saltem virtutum acquisitarum »efficacitatem frequentatione venialium eatenus »diminui, quatenus et ipsa inducunt habitum ma»lum, adeoque etiam inclinationem contrariam »eis, quae virtus ex suo genere continet«.

»Secundo, certum est, inquit Tanner [2]) ea fre»quentatione (scilicet venialium) corrumpi etiam habitum earum virtutum, quarum actus contrarii, »ex suo genere non sunt nisi venialia peccata, »quales sunt v. g. liberalitas, eutrapelia etc.«

»Quia hae virtutes cum per se non habeant alios actus contrarios, quam peccata venialia, »ut supponitur, necesse est, ut vel ab his corrum»pantur, vel nullomodo per se corrumpantur, »quod est plane falsum et absurdum«. Atque in his conveniunt hactenus Medina et Zumel [3]).

Tertio, vero multo verius est, caeteras quo»que virtutes acquisitas, etiam quoad habitum, »tandem corrumpi per peccata venialia iisdem »opposita, nisi forte continuatum simul exerci»tium earundem virtutum proportione quadam »peccatis eiusmodi venialibus praevaleat. Ita »Zumel contra Medinam hic loco cit. probat; »tum quia peccata venialia, cum sint eiusdem »speciei, cum peccatis mortalibus, in eadem ma-

[1]) Disp. 4. q. 1. dub. 5. nu. 74. et seq. [2]) Nu. 75. [3]) Hic Q. 7. a. 4.

»teria versantibus, ut inferius suo loco dicetur: Et docet S. Thomas[1]) ubi ait: »Veniale dif»ferre a mortali, sicut imperfectum a perfecto, »ut puer, a viro«. Et Cajet. Median. Zumel, Valentia noster, Vasquez, Tanner[2]). »Adversantur »etiam specificae bonitati virtutis, et actuum »illorum, per quos fuit acquisita, et simul indu»cunt habitum vitiosum eiusdem speciei, cuius »est ille, qui inductus est per peccatum mortale »adeo, ut qui promptus est v. g. ad furandum »parva (idem autem iudicium est, de detractione »veniali, et aliis peccatis) quantum est ex vi eius»modi habitus, et obiecti specifice considerati, »sit etiam promptus ad furandum magna etc. »tum quia ipsa etiam experientia, videtur docere »eum, qui nunquam non immoderate comedit, »habitum temperantiae penitus tandem amittere. »Et confirmatur: Quia fieri potest ut in suo ge»nere non minor sit malitia peccatorum venia»lium, quam sit bonitas actuum virtutis, quibus, »in homine praesertim peccatore, habitus virtu»tum moralium acquisiti sunt«.

»Dixi vero, nisi continuatum exercitium vir»tutum praevaleat etc. quia si v. g. quater ve»nialiter peccaret in materia temperantiae, et »toties interim moderate comederet ex habitu

[1]) In 2. dist. 42. q. 72. a. 5. et q. 77. a. 7. ad 2. et 1. 2. q. 88. a. 3. et 6. ad 1. [2]) 1. 2. d. 4. q. 5. dub. 2. n. 52.

»temperantiae, servata interim quadam actuum »contrariorum inter se proportione, is habitum »temperantiae antea acquisitum non amitteret, »utpote qui non minus per bonos actus confir»maretur, quam per actus malos oppositos debi»litaretur«. Haec Tanner.

Bene autem supra dixit Tanner, peccata venialia disponere ad mortalia removendo vel impediendo fervorem charitatis, qui est obstaculum, ne peccata mortalia committantur. Quia id dicit expresse S. Thomas [1]) disputans an per Eucharistiam peccata venialia remittantur. »Mi»nuunt, inquit, fervorem charitatis, et sunt sicut »actio caloris naturalis, per quam deperditur ali»quid in corpore, ad quod restaurandum est ne»cessarium cibi nutrimentum«.

Idem docent, nimirum peccato veniali impediri fervorem charitatis, Durandus [2]), Maior [3]) Alensis [4]) ait: Peccatum veniale opponi fervori charitatis, ut anima minus efficaciter Deo adhaereat per charitatem, ad cuius corruptionem etiam disponit. Imo non tantum minuunt fervorem venialia peccata, sed, ut docuit P. Petrus Arubal [5]), »Peccata venialia, »ut habitualiter manent, consistunt in privatione »proximae facultatis (scilicet fervoris) ad elicien»dos ferventes actus charitatis, ex quibusdam

---

[1]) 3. p. q. 79. a. 4. [2]) In 2. d. 43. q. 6. num. 11. [3]) D. 42. q. 6. in secundo quaesito. [4]) 1. p. q. 19 nu. 8. [5]) 3. p. q. 87. a. 2.

»inspirationibus seu auxiliis gratiae actualis ad »quam habent respectum. Et ita quando in in- »fusione gratiae remittitur veniale, non fit id »formaliter et proprie per gratiae infusionem, »sed quia tunc recuperatur facultas ad actus »ferventes charitatis, per annexa auxilia. Quando »autem unum peccatum veniale remittitur sine »alio, fit, quia illa facultas late patet, sicut et »auxilia Divina, ad quae habet respectum. Unde »sicut ex parte quaedam auxilia ob peccatum »veniale homini negata restituuntur, non omnia »(si actus ob quem auxilia dantur, non sit suf- »ficiens ad acquirenda omnia): ita ex parte facul- »tas illa, in cuius privatione consistit peccatum »veniale, restitui potest, et sic unum veniale sine »alio remittitur«.

Primo confirmatur haec certa doctrina Theologica a posteriori exemplis eorum Dei servorum, qui rarissime peccabant venialiter, et nunquam deliberate (qualis fuit S. Dominicus, S. Franciscus, S. Carolus, S. Philippus Nerius, S. Catharina Senensis, S. Teresia, S. P. N. Ignatius, S. Xaverius, B. Aloysius, B. Stanislaus). Hi enim beneficio divino, perpetuo fervore charitatis omnia opera sua expediebant, et plane ardebant, ut oportuerit temperare igneum quendam ardorem charitatis, quo ardebant et in oratione, et in sacrificio Missae, et in aliis operibus ordinariis etiam distractivis; ut ex vitis eorum constat. E contra,

qui saepe peccant deliberate, sunt languidi imo tepidi, et frigidi et aridi in omnibus, proinde facile a diabolo ad mortalia perducuntur. Quia ut dixit Abbas Pimenius: »Sicut ad succensam ollam muscae non approquinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea, et faciunt vermes; ita et »monachum succensum igne divini amoris fugiunt daemones, tepidum vero illudunt et insequuntur«.

Secundo. Confirmatur haec doctrina praeclara sententia S. Chrysostomi[1]) ubi de peccatis venialibus loquens, per quae diabolus hominem facile capere queat, sic ait: »Corpus non ita tempore dissolvitur, ut anima per peccatorum »multitudinem marcescit, flaccescit, ac de gradu dejicitur ac senescit. Etenim ad summam iam »ea adducitur nugationem, verba nihil significantia enuncians, ut facere solent, qui senectute »confecti delirant: eadem muco ac pituita referta, stupida interim atque obliviosa, lippitudinem in oculis gestans, omnibus abominabilis, »ac talis, ut eam diabolus non ita magno negotio capere queat«. Quia nimirum disponitur per venialia et mortalia committenda, per quae sola capitur et captivatur a diabolo. Quocirca cui curae est ne Deum offendat peccatis mortalibus, vitet venialia deliberata. Alioquin infelix esset illa anima, quae Deum offenderet peccato mor-

[1]) Hom. 10. in ep. Rom. in mor.

tali in religione, maxime post plures annos in ea transactos. Hinc P. Antonius Padilla, magnus in Societate vir, et generis claritate, et virtute, et doctrina eximius, qui primus e Societate, thesi proposita de defendendis omnibus propositionibus P. Molinae, eum publice defendit, tum dum esset primum excitata gravis contra scripta P. Molinae tempestas; hic inquam tantus vir, ut scribit P. de Ponte in vita P. Alvarez[1]), cum magnis angoribus diu premeretur, et morti proximus timeret mortem [2]) hic, inquam, noster P. Padilla interrogatus a quodam patre, an conscientiae remorsum sentiret ob aliquod lethale peccatum commissum in quadraginta annis quibus fuit in Societate, exclamando, respondit: »Iesu, quan»tum monstrum hoc esset? Religiosus, et pecca»tum mortale? non est cur de ea re agatur. Sed »paulo post, Deo revelante didicit, se salvum »fore, et illa nocte perventurum ad caelum, et »se esse intra cor Dei. Et ita laetus decima hora »noctis eiusdem diei quo dixit se in coelum itu»rum, animam Deo tradidit, submissa voce di»cens: laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, »in domum Domini ibimus«.

[1]) Cap. 20. §. 2. [2]) Uti timuit S. Hilarion Abbas, teste S. Hieronymo in eius Vita relata in Breviarium Romanum 21. Octobr. et quidam alii magni Sancti, inter quos fuit B. Ludovicus Bertrandus sacri ordinis Praedicatorum, et nostrae, dum viveret, Societatis magnus in Hispania Patronus et intimus amicus.

Terribile est huius veritatis confirmativum exemplum, quomodo scilicet venialia peccata disponant sensim ad peccata mortalia, imo ad aeternam damnationem, relatum a S. Theresia de se, in sua vita ab ipsamet scripta [1]). »Orans, »inquit, in uno momento me inveni, meo iudi»cio, positam in inferno, non sciens qua ratione. »Intellexi velle Dominum, ut viderem locum, »quem ibi daemones mihi praeparaverant, et ego »promerita illum fui ob mea peccata« [2]). Hac visione vera supposita, videamus quomodo id esse potuerit:

I°. Certum est, S. Theresiam tota vita sua nullum commisisse mortale peccatum, sed conservasse gratiam baptismalem. Hoc testatur eius Confessarius Didacus Ieppesius episcopus Turiassonensis [3]) et ipsa S. Theresia [4]) scripsit: »Non videtur mihi me a Deo fuisse separatam »per culpam mortalem«.

II°. Certum est illam non offendisse Deum etiam leviter ullo peccato contrario castitati, et peccatis linguae, ob quae duo plurimos damnari certum est. Ipsa enim [5]) scribit: »se non habuisse »affectum ad ullum grave peccatum, et a rebus

[1]) Cap. 32. [2]) Optimum exemplum, ut obiter dicam, de scientia conditionali Dei, quam Societas tenet. hac enim Deus praevidit illam ituram ad infernum, si perrexisset in illo modo vivendi, quem tunc tenebat, infra commemorando. [3]) L. 3. C. 1. vitae S. Theresiae a se editae. [4]) C. 2. vitae. [5]) Ibidem post. med.

»inhonestis naturaliter abhoruisse«. Et de se scribit [1]): »Non fui inclinata ad murmurandum, »nec ad dicendum male de ullo. Non credo me »voluisse alicui malum, nec eram avara, nec re»cordor me unquam gravem invidiam habuisse«. Et noster P. Rodericus Alvarez S. Theresiae confessarius (diversus a nostro Patre Balthasaro Alvarez), extractis semel suis perspiciliis, coram aliquot discipulis suis (qui id iureiurando postea testati sunt, se ab eo audivisse), dixit diserte: »Sicut haec perspicilia non sunt »obnoxia ulli inhonestae cogitationi, ita fuit »anima Theresiae ex singulari Dei privilegio et »gratia«.

III° Noster P. Franciscus Ribera, defendens hanc Sanctam in peculiari tractatu de peccatis eius, qualia fuerint, et visionem de inferni loco ei praeparato, et ab ea viso declarans, scribit, »se a quadam priorissa Discalceata, fa»miliari S. Theresiae aliquoties audivisse, cum »proposuisset S. Theresiae quiddam pertinens ad »materiam inhonestam consilii gratia« (forte ut ego existimo, vel de illusionibus nocturnis, vel de tentationibus, aut motibus faedis carnis), »S. »Theresiam ei respondisse, se id non intelligere, »et se nunquam tota vita habuisse quidquam in »hac materia quod confiteretur«. Et, ut scribit idem archiepiscopus eodem capite, illam mo-

[1]) Cap. 32.

»nialem remisit, »ut consilium pro illa re, ab ali»quo alio peteret«.

Cur ergo Deus ostendit locum pro ea praeparatum in inferno? Respondet P. Ribera, illam perventuram fuisse ad infernum, si continuasset illa peccata venialia, quibus tunc erat dedita, illa non curans, quia putabat non esse peccata. Qua de re ipsa valde conqueritur [1]), et grato animo recolit, se ab hac caecitate per septemdecim annos continuata, primum in aliquibus rebus fuisse a docto quodam P. Dominicano, et tandem totaliter a PP. Societatis liberatam, eique fuisse detecta mala eius principia seu dictamina. Quod si quaeras, quaenam fuerint illa peccata venialia, per quorum continuationem devenisset ad infernum sibi praeparatum, et divinitus ostensum; Respondeo, illam ipsam ea commemorare. Nam scribit [2]): »Fuisse otiosas et »laetas conversationes, cum aliis immaturae aeta»tis et virtutis, qui, ut ait P. Ribera, facile labi potuissent, cum illa fuerit valde affabilis et amans (licet honeste) illorum qui cum ea con»servabant amicitiam. Ideo ipsa experta hoc pe»riculum [3]) rogat per amorem Dei suas moniales, »ut fugiant tales conversationes exemplo suo«.

Si ergo haec, permissa illi a Superioribus, adeoque levia, ut quidam confessarii dicerent non esse peccata, illam perduxissent ad infernum;

[1]) Cap. 5. vitae suae. [2]) Cap. 2. [3]) Cap. 7.

quid dicendum est de apertis peccatis murmurationum seminantium discordias, diffidentias, aversiones, et de aliis periculosioribus? sunt enim peccata velut annuli quidam catenae: unum trahit aliud, et tandem perducit ad perdendam gratiam per peccatum mortale, et postea tandem ad perdendam vocationem. Nam, ut ait B. Laurentius Iustinianus[1]) »in una malignitatis »catena confoederata sunt vitia in animarum »ruinam, ab immundis spiritibus fabricata atque »contexta«. Ideo fere nunquam perditur vocatio, nisi, uti bene dicebat P. Petrus Ximenez, post multa peccata venialia, et ex his orta peccata mortalia contra vota, in religione commissa.

Quem progressum peccatorum venialium in mortalia desinentium, ad vivum ita describit S. Bernardus[2]) loquens de floribus, qui in horto religionis per nostram incuriam arescunt. »Hoc, »inquit, frigus si semel animam pervaserit, (ani»mae quidem, ut assolet incuria, spiritu dormi»tante) ac nemine deinde, quod absit, inhibente, »ad interiora eius pervenerit, descenderit in vi»scera cordis et sinum mentis, concusserit affec»tiones, occupaverit consilii semitas, perturbave»rit iudicii lumen, libertatem addixerit spiritus; »mox, ut in corpore solet evenire febricitanti»bus (en quomodo describit peccatum veniale

[1]) De vita solit cap. 4. ante med. [2]) In Cant ser. 63. n. 6. ad fin.

instar morbi, uti dixerat S. Thomas disponere ad mortale), »subit quidam animae rigor, et »vigor lentescit; languor fingitur virium, horror »austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitae, sopitur ratio, spiritus »extinguitur. defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex »(Dei praecepta, vel regularum observantia), abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor »Domini, dantur postremo impudentiae manus, »praesumitur ille temerarius, ille pudendus, ille »turpissimus, plenus ille ignominia et confusione »saltus de excelso in abyssum, de pavimento in »sterquilinium, de solio in cloacam, de coelo in »coenum, de claustro in saeculum, de paradiso in infernum«. Patuit hoc in David rege viro secundum cor Dei, qui et si haberet decem uxores ad remedium concupiscentiae [1]), tamen per curiositatem venialem devenit ad tot peccata foeda [2]). Ita Salomon, ita Absalon, ex curiositate oculorum veniali in aspiciendis pulchris feminis, ex curiosa lectione veniali, vel auditione obscoenorum, sic alii passim in mundo. Nam, ut bene ait S. Dorotheus [3]). »Cum diabolus quempiam, qui peccare nullo modo velit, intuetur,

[1]) Ut habetur 2. Reg. 15. 16. [2]) Ibid. 11. 2. [3]) Ser. 5.

»non ita est ineptus aut ad male agendum igna»vus, ut statim illi peccatum aliquod gravissi»mum suggerat, aut scelus aliquod profanum »suadeat. Nequaquam enim illi dicit: Vade et »scortare, aut furtum committe; novit enim haec »a nobis prorsus non admitti; sed admiscet se »iustificationibus nostris; tunc fortior est, tunc »magis nocet, tunc amplius operatur, cum per»stamus in voluntate nostra, et nosmet ipsos in»stituimus et informamus:, hoc est, dum nos nostris dictaminibus dirigimus contrariis doctrinae eorum, a quibus dirigi debemus. Supra autem [1]), docens quomodo conscientiam nostram a gravibus peccatis servare debeamus illaesam, monuerat: »Studeamus custodire conscientiam »nostram, neque conculcemus eam in aliquo etsi »id minimum sit. Ut enim videre facile est, ex »his minimis, et vere vilibus ad magna conte»mnenda delabimur. Cum enim coeperit quis »dicere: (Quid est si verbulum hoc unicum, (tem»pore silentii, in quo licet obiter et perpaucis »loqui) locutus fuero? Quid est si modicum hoc »comedero: Ex hoc »Quid id, Quid illud« admit»titur mala et amara esca, et sensim incipit quis, »ac pedetentim in maiora et graviora prolabi, »et sic deinceps per partes proruens periclita»tur, atque in perfectam insensibilitatem decidit. »Curate levia, quoad levia sunt, ne graviora fiant

[1]) Ser. 3.

»Et virtutes et peccata a parvis incipiunt, et ad »magna vel bona vel mala perducunt«. Quo circa S. Barlaam, praescribens S. Iosaphat a se baptizato [1]) normam vivendi et conservandi integre gratiam in baptismo receptam, monet inter alia, ut parvis peccatis aditum in animum praecludat: »Ob id enim, inquit, maiora peccata »quotidie ad nos aditum habent atque in ani»mas nostras imperium obtinent, quoniam iis »quae minora esse videntur h. e. improbis cogi»tationibus, in honestis sermonibus, malisque col»loquiis consentanea correctio minime adhibetur. »Ut enim in corporibus, qui parva vulnera ne»gligunt, saniem plerumque ac mortem sibi ipsis »accersunt, ad eundem modum etiam in animis »hoc usuvenit, ut, qui minima vitia ac peccata »nihili pendunt, graviora sibi invehant. Quate»nus autem graviora peccata ipsis oboriuntur, »contracto tandem habitu, anima in contemptum »cadit. Impius enim, inquit ille, cum in profun»dum venerit, contemnit [2]), ac deinceps, ut sus »lota in volutabro gaudet; sic etiam anima illa »pravae consuetudini immersa, ne peccatorum »quidem foetorem sentit, verum potius ipsis gau»det et oblectatur, vitiumque instar boni cuius»piam arctissime retinet. Atque ut etiam ali»quando, recepta meliori mente, scelerum suo-

[1]) S. Damasc. Vit. PP. L. 73. p. 519. c. 19. [2]) Prov. 18. 3.

»rum sensu afficiatur, non tamen sine magno la»bore ac sudore a prava consuetudine, cui ultro »ac sponte se in servitutem addixit, liberatur«. Ita a parvis malorum exiguorum initiis, ad maiora delabimur. »Malum enim, ut ait S. Dioni»sius Areopagita, cum sit defectio a bono, »sua infirmitate et pondere, semper ad aliud et aliud »malum progreditur« [1]). Sed hoc mirabilius est, id etiam ab ethnico Aristotele agnitum; qui cum dixisset: »In principio peccatum consistere [2])« (hoc est, dum ei non resistitur prima facie) ostendit exemplis, multa et gravissima mala nasci ex parvis. Et inferius ad conservandam rempublicam hoc inprimis dat monitum: »In »rem etiam parvam intendere, parvam custodi»re« [3]). Ideo S. Gregorius Papa ait: »Non»nunquam deterius in parva, quam in magna culpa peccatur. Maior enim, quo citius agno»scitur eo etiam celerius emendatur: minor vero, »dum quasi nulla creditur, eo peius, quo et secu»rius in usu retinetur« [4]).

Merito S. Thomas dixit peccata venialia disponere ad mortalia. Merito idem monuit [5]): »Debet, inquit, homo habere propositum se prae»parandi ad peccata venialia minuenda: alias »enim esset ei periculum deficiendi (a gratia, vel »a statu religioso in religiosis), cum desereret appe-

[1]) C. 4. div. nom. [2]) L. V. Pol. c. 3. [3]) Cap. 8. [4]) 3. p. past. Admo. 34. [5]) 3. p. q. 87 a. 1. ad 1.

»titum proficiendi, seu tollendi impedimenta spi»ritualis profectus, quae sunt peccata venialia«. A quibus dum non custoditur cor, nec ab eo arcentur, »anima, ut ait S. Macarius[1]) surripitur »a vitio, et assimilatur civitati muris carenti, »quam ingrediuntur latrones quacunque parte »volunt, absque ullo impedimento, illamque red»dunt desertam a gratia sanctificante) atque in»cendio flammisque tradunt: sic, dum te ipsum »negligis et frigide tibi ipse attendis, subeunt te »spiritus malitiae atque deformant et desertam »reddunt mentem tuam, dispergentes cogitationes »tuas in hoc saeculum«.

Ecce processus peccatorum venialium, et dispositiones eius ad mortalia. Merito ergo Sancti adeo abhorrebant ab eis, quia magnifaciebant Dei gratiam, quam sciebant perdi mediate per venialia. Et quod deterius est, ut docet Sanchez[2]): »Propositum commitendi omnia venia»lia, quotquot se obtulerint, solaque mortalia vi»tandi, est mortale, quamvis contemptus desit: »quia talis propositi obiectum in se continet »apertissimum mortaliter peccandi periculum. Et »ex eo proposito oriri hoc periculum, constat ex »multis similibus, quae affert D. Augustinus«[3]). Confirmantur haec omnia de dispositione pecca-

---

[1]) Hom. 15. L. 34 pag. 607. n. 47. [2]) T. I. in Decal l. I. c. 5. n. 4. [3]) De poenit. Cf. Alensis: P. 4. q. 65. m. 3. a. 1. §. 1. qui de hac re optime docet.

torum venialium ad mortalia gravi testimonio S. Bernardi[1]). »Hinc fratres mihi tristitia ma»gna et dolor continuus cordi meo, quod non»nullos tam pronos ad levitatem, ad risum, »et ad scurrilia verba tam faciles video, »ut pertimescam valde ne forte plus quam expe»diat divinae misericordiae immemores et in»grati tam multis beneficiis suis, aliquando de»serantur a gratia«. Si haec peccata venialia, quae reputantur ab imperfectis pro minoribus, apta sunt iudicio S. Bernardi hominem privare Dei gratia, quanto magis graviora, uti sunt mendacia perniciosa, detractiones?

CAPUT V.

Peccata venialia impediunt profectum in virtutibus.

Quinta Consideratio, seu causa ob quam merito Sancti abhorrebant a venialibus peccatis erat impedimentum multiplex proveniens ex illis ad assequendam vitae perfectionem et sanctitatem, imo et profectum in virtutibus sine quo ordinarie non acquiritur perfectio.

1-um impedimentum. Quia ut docet S. Tho-

[1]) In Dom. 6. post Pent. ser. 2. n. 1. fin.

mas [1]). »Peccata veniala actus virtutum corrum-
»punt et impediunt«.

Quaeres primo, quomodo corrumpunt venialia actus virtutum?

Respondeo I°, quia dum vel finem, vel alias circumstantias actuum virtutum supernaturalium inficiunt, ita ut illi actus sint peccata (v. g. oratio cum distractione voluntaria in se, vel in causa, concio, lectio etc. vel aliud bonum opus, ob vanam gloriam factum), tales actus corrupti sunt a peccato, quia ob illud non sunt meritorii, proinde nil conferunt ad profectum in virtutibus supernaturalibus, qui profectus formaliter et materialiter tunc fit, cum habitus virtutum supernaturalium augentur in anima; qui extra sacramentum non augentur per actus peccato infectos, quia non sunt meritorii, ut docent theologi cum S. Thoma [2]). »Opus enim bo-
»num est ex integra causa, malum autem ex »singularibus defectibus«, ut ait S. Dionysius Areopagita [3]) receptus ab omnibus theologis, cum S. Thoma [4]). Ita ut si aliquid desit, quod »requiratur ad debitas circumstantias, erit actio »mala«: ut ait cum omnibus theologis S. Thomas [5]). Nam ut bene antea docuit S. Chryso-

[1]) 1. 2. q. 89. a. 1., et q. 88. a. 1. ad 1, et 1. 2. q. 60. a. 1. ad 1. [2]) 2. 2. q. 132. a. 3. ad 1. [3]) Div. nom. c. 4. L. 3. [4]) 1. 2. q. 18. a. 4. ad 1. [5]) Ibid a. 3. fin.

stomus. »Non potest esse simul meritum et »delictum« [1]).

Respondeo II°, peccata venialia etiam actus naturales virtutum corrumpunt et faciunt ne prosint ad profectum in virtutibus acquisitis et ad perfectionem: quia quamvis in ethnicis et christianis in peccato mortali existentibus, crescant habitus naturales, acquisiti per actus naturales peccato infectos, ii tamen ad perfectionem vitae spiritualis non conducunt, quia perfectio exigit, ut fiant actus humani sine peccato, illi autem actus augent habitum ad producendos actus tales, per quales aucti sunt, id est peccaminosos.

Quaeres secundo, quomodo peccata venialia impediunt actus virtutum, ac proinde profectum in virtutibus et perfectionem, quae per frequentationem actuum virtutis acquiritur?

Respondeo I°, quia peccata venialia dum committuntur, occupant, ut ita dicam, illam particulam temporis in qua committuntur, ne tunc loco peccati venialis illam occupantis, eliciatur aliquis actus virtutis Deo movente, vel ex habitu antea acquisito elicitus, vel ex solo auxilio actuali divinae gratiae semper ad omnes actus supernaturales necessariae, sed magis si eliciendus sit actus valde heroicus, et intensior quam

[1]) Hom. 30. ad pop.

sit habitus eiusdem virtutis valde remissus. Etsi enim uno eodemque tempore possit aliquis iustus actum aliquem virtutis elicere, verbi gratia, devote orare, et advenienti pauperi spectantibus aliis dare ex voluntario appetitu vanae gloriae et laudis eleemosynam: tamen si hoc vel aliud peccatum tunc non committeret, sed alium actum virtutis eliceret, verbi gratia largitionem eleemosynae ex amore Dei, melius esset. Verum tunc, per affectum vanae gloriae, impeditus esset actus virtutis caritatis erga pauperem, qui ex Dei amore elici tunc una cum oratione devota non interrupta potuerat. Quod est magnum damnum spirituale per peccatum veniale iusto illatum.

Sane si mercator haberet domi suae aliquem famulum, quem per plures annos aluit, et adverteret eum fuisse causam, ne quolibet die lucraretur centum millia ducatorum: statim eum domo sua expelleret, et nunquam eius opera uteretur nec in domum admitteret, et abhorreret ab eo magis quam a quavis re creata, et ab ipso diabolo; ita nos peccatum veniale tractare deberemus, quia illa temporis particula, quae insumitur in eo admittendo, perdimus meritum, quod est maius bonum iudicio Dei et nostro, si fidem de Deo habemus, quam mille immo quam actu infiniti milliones. Siquidem quovis merito vere et realiter acquirimus per gratiam, substantialem Dei praesentiam tamquam amici, et ut loquitur

Apostolus[1]) promeremur Deum; quo etiam modo loquendi de merito, loquuntur S. Ignatius M.[2]) et S. Cyprianus[3]).

Respondeo II°, quia spectato communi modo vivendi hominum, plura peccata committunt, quam faciant bona, unde magis crescunt habitus vitiorum, non aeque habitus virtutum, a quibus actus virtutum procedant, et ita fit, ut etiam aliis temporibus, quando homo nil peccat, actus virtutum non eliciantur ab habitibus virtutum minus intensis et minus efficacibus. Nam, ut ait Aristoteles[4]) receptus ab omnibus in hoc: »Peccare multis modis possumus, malum »enim est infiniti atque interminati ut Pythagorici coniectabant, bonum autem finiti et terminati. Recte autem agere, uno modo tantum licet. Atque idcirco illud facile, hoc difficile est: »siquidem est facile aberrare a scopo, sicut »ipsum scopum attingere difficile est«. Quapropter frequentiores actus peccatorum etiam alia tempora occupando, quibus tunc actus boni possent elici, impediunt illos.

Respondeo III°. Peccata venialia impediunt actus virtutum, ac proinde profectum in iis et perfectionem, quia, ut supra dictum est a me, peccata venialia impediunt influxum

[1]) Hebr. 13, 16. [2]) Epist. ad Rom. [3]) De unit. Eccl. seu de simpl. Praelator. L. 9. p. 527. n. 15. [4]) lib. 2. c. 5. de moribus. ed. Parisiis 1654. p. 28.

auxiliorum efficacium divinae gratiae, (ut docent SS. Patres et theologi classici) omnino necessarium ad eliciendos actus virtutum supernaturales, per quos confertur viatoribus perfectio.

Respondeo IV°. Peccata venialia impediunt actus virtutum, et per hoc profectum in iis et perfectionem, »quia peccata venialia diminuunt inclinationem ad virtutem quam homo habet in natura, (ut docent cum S. Thoma [1]), S. Basilius [2] et S. Chrysostomus [3]) et »S. Bernardus [4]. Per actus enim humanos fit quaedam inclinatio ad similes actus, ut supra dictum est. »Oportet autem quod ex hoc, »quod aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Unde »cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc »ipso quod homo peccat, diminuetur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem [5]). — Quoniam vero, ut idem S. Doctor ait [6]) haec inclinatio ad virtutem... potest dominui in infinitum, quia in infinitum possunt impedimenta apponi, secundum quod homo potest in infinitum addere peccatum peccato: ideo ex parte »termini et finis, quod est bonum virtutis (scilicet assequendae), haec inclinatio maxime dimi-

[1]) 1. 2. q. 85. a. 1. fin. [2]) Reg. 2. fus. L. 31. [3]) In Matth. hom. 24. [4]) Epist. ad Fr. de Monte Dei l. 2. c. 2. n. 7. [5]) 1. 2. q. 85. a. 1. fin. [6]) Ibid. a. 2.

»nui potest«, non tamen totaliter extingui, quia manet natura rationalis humana, in qua est inclinatio ad virtutem. Ideo experiuntur peccatis venialibus frequentibus dediti, maximam repugnantiam ad exercitium virtutum, taedium in oratione, in colloquiis spiritualibus, in lectione piorum librorum, aversionem a poenitentiis corporalibus, fugam personarum de rebus spiritualibus loquentium, nauseam confusionum externarum, metum poenitentiarum publicarum, pudorem in externae modestiae demonstratione, et e contrario magnam inclinationem ad contraria his actibus virtutum.

Respondeo V⁰. Peccata venialia impediunt actus virtutum, et sic profectum in virtutibus et perfectionem, quia peccatum veniale, ut docet S. Thomas[1]) »aliqualiter, etsi imperfecte, se»parat hominem a Deo: quia etiam per pecca»tum veniale deordinatur voluntas hominis per »immoderatam conversionem ad bonum crea»tum. Et ideo inferius[2]) ait: Remitti peccatum »veniale per actum procedentem ex gratia, per »quem removeatur inordinata adhaesio ad rem »temporalem. Peccatum enim veniale, ut idem »S. Doctor ait[3]), est quaedam inordinatio circa »ea quae sunt ad finem«. Sane Deus, qui quovis peccato veniali offenditur, et qui est finis omnium

[1]) 3. q. 87. a. 1. [2]) Ibid. a. 2. ad. 3. fin. [3]) 2. 2. q. 24. a. 10.

nostrarum actionum, propter quem in caelo adipiscendum creati sumus, et ut ad eum perveniamus, Deus ipse sanguinem suum fudit: talis, inquam, Deus, cuius acquisitio est acquisitio maiorum bonorum quam sint in omnibus rebus et felicitatibus et voluptatibus humanis, dignior est quam finis cuiusvis itineris et peregrinationis humanae ob commodum aliquod susceptae; sicut ergo dum iter aliquod facimus, vehementer cavemus ne retardemur ab assequendo termino et fine viae nostrae, et vias avertentes nos ab eo et iter longius reddentes penitus fugimus: ita saltem vitemus quodvis peccatum veniale, siquidem retardat nos, ne nostro affectu prompte, ac proinde cito feramur in Deum, summum et verum bonum nostrum.

Respondeo VI[a]. Peccata venialia impediunt actus virtutum, et hac ratione profectum in iis et perfectionem, quia »peccata venialia diminuant fervorem charitatis«, ut ait S. Thomas[1]) necessarium ad actus eximios virtutum et profectum ac perfectionem. Ideo eis dediti experiuntur se valde tepidos in bono, imo frigidos, eoque magis, quo pluribus et gravioribus peccatis venialibus Deum offendunt. E contra, qui ea vitant toto conatu, ferventissimi solent esse. Nam, ut ait S. Ambrosius[2]). »Cessante »incentivo culpae atque delicti, salus tuta est,

[1]) 3. q. 79. a. 4. [2]) L. 15. p. 409. n. 59. fin.

»atque inoffensus animae vigor se refundit«. Vigor iste fervor est in exercendis operibus virtutum, omnem tepiditatis languorem et socordiam eliminans. Nec enim cum igne potest frigus et gelu uno in loco manere. Ideo B. Laurentius Iustinianus[1]) dicebat, servo Dei etiam parva esse vitanda peccata, ne caritas, (id est, fervor caritatis) refrigescat. Qui fervoris defectus tanti momenti est, ut ob eum religio monastici ordinis tota concidat, iudicio S. Anselmi[2]). »Sicut pisces, inquit, decurrente aqua vi»varii moriuntur, si clausurae ipsius minutatim »ac saepe crepant nec reficiuntur, ita omnis re»ligio monastici ordinis funditus perit, si custo»dia eius per modicarum contemptum culparum, »paulatim a fervore sui tepescit: attestante Scri»ptura, qui modica spernit, paulatim decidet« [3]).

Ideo »verendum est, ut monet S. Bernar»dus[4]) ne minimorum neglectus, impedimentum »sit maximorum«, scilicet actuum virtutis et profectus in virtutibus, qui nonnisi per actus virtutum multiplicatos fit. Ideo peccatis venialibus dediti non proficiunt, sed haerent sicut navis in mari sine ullo vento; imo sicut navis detenta ab aliquo impedimento, vel ancorae vel arenae in quam impegit, vel a qua demersa est.

[1]) Vitae c. 9. init. [3]) De similit. c. 123 [3]) Eccli. 19. 1. [4]) Epist. 136. (ad Lotharium Imperatorem) n. 2. init. (L. 182. 294).

Etsi enim parva res quaevis arenula sit, respectu magnorum lapidum, tamen multiplicata ita onerat navem ut progredi non possit, imo saepe demergit. — Pulchre hoc explicat S. Augustinus[1]) exponens illa verba: Multiplicate sunt (scilicet iniquitates, super capillos capitis mei:[2]) »Quis, inquit, numerat capillos capitis sui? multo »minus peccata, quae excedunt numerum capil»lorum: scilicet venialia, nec enim in Davide »tam multa erant mortalia, minuta videntur, sed »multa sunt. Praecavisti magna; iam non facis »adulterium, iam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis fal»sum testimonium; moles istae sunt peccatorum. »Magna praecavisti: de minutis quid agis? An »non times minuta? proiecisti molem, vide ne »arena obruaris«. Ideo Sancti metuentes subversionem suae navis, scilicet corporis et animae, tanquam navarchi gubernantis corpus, vitabant toto conatu peccata venialia.

Dixi supra quintam causam, ob quam vitanda sunt a nobis omnia peccata venialia: nimirum, quia ex illis multiplex provenit impedimentum ad assequendam vitae perfectionem, quae est finis nostrae Societatis in regula secunda Summarii expressus, et finis tertii anni, peculiari studio quaerendus, uti et ab omnibus

[1]) In Enarr. in Psal. 39. [2]) v. 13.

aliis viris spiritualibus intenditur; ac proinde impediunt etiam profectum spiritualem, qui de lege Dei ordinaria est tanquam via ad terminum, hoc est ad perfectionem consequendam. Primum autem impedimentum huius profectus et perfectionis ortum a peccato veniali, ostendi esse: quia corrumpit et impedit actus virtutum, idque demonstravi modis, quibus id facit.

Nunc proferam secundum impedimentum, quod ex peccatis venialibus nascitur ad perfectionem et profectum, ex eo quod, ut docet (praeter experientiam) S. Thomas[1]), per peccatum veniale retardatur affectus hominis ne prompte feratur in Deum. Hoc autem peccatum veniale facit, tum diminuendo fervorem caritatis, tum impediendo illa divinae gratiae auxilia, sine quibus excitantibus et adiuvantibus hominem, ille non potest prompte ferri in Deum, tum quia producunt et augent pravos habitus vitiorum, quorum aucta inclinatione ad actus malos, minor sentitur inclinatio virtutis ad actus bonos, quae in virtute magna et vehemens esse debet tunc, dum quis prompte vult ferri in Deum per actus virtutum. Profectus autem et perfectio talis qualis est finis nostrae Societatis, et tertii anni et aliorum virorum spiritualium, includit in se et supponit tales virtutum actus, per quos animus prompte

[1]) 3. q. 87. a. 1.

feratur in Deum, imo promptissime. Tales enim actus reperiuntur in omnibus illis, qui vere et solide in virtutibus proficiunt, multo autem magis in illis, qui iam ascenderunt ad altos evangelicae perfectionis gradus. Illi enim in omni occasione exercendae virtutis, et ad simplicem apprehensionem boni, beneficio divinae gratiae excitantis et adiuvantis eos, et habitunm bonorum antea acquisitorum, quasi connaturaliter feruntur in Deum promptissime per actus virtutum, etiam heroicos et difficiles, quales sunt, qui per humilitatem, et patientiam, et amorem inimicorum, et amorem crucis, et poenitentiam eliciuntur aut imperantur.

Tertum impedimentum quod ad perfectionem acquirendam et profectum in virtutibus (per quem illa acquiritur, sicut calor producitur per calefactionem) ex peccatis venialibus oritur, est: quia per quodlibet peccatum veniale deordinatur voluntas hominis, per immoderatam conversionem ad bonum creatum, ut docet S. Thomas[1]). Et ita videmus eos, qui frequenter peccata venialia committunt, magis et libentius se occupare, ex. g. in recreationibus corporis quam in recreatione animae, id est oratione vel lectione spirituali; magis delectari lectione curiosa solum intellectum pascente, quam in lectione librorum spiritualium affectus pios excitantium;

[1]) 3. q. 87. a. 1. et a. 2. ad 3.

magis et libentius sermonibus iocosis, vanis, imo quandoque et scurrilibus vacare, quam spiritualibus et piis; magis ad otium propendere, quam ad laborem; magis ad oblectationes gulae, quam ad actiones lucra meritorum adferentes animae; libentius conversari cum indevotis et discolis et facetis, quam cum magis devotis, magis spiritualibus, magis observantibus regulas; libentius quaerere et eligere res meliores, pretiosas, curiosas, pro sui corporis commoditatibus, quam res viliores et simplices, in quibus maior paupertas elucet. Haec omnia sunt effectus peccatorum venialium, et alia his similia, quae cernuntur in hominibus imperfectis et de suo spirituali profectu ac acquirenda perfectione non sollicitis. Talia enim agendo, manifeste indicant, se per peccata venialia habere »deordinatam vo»luntatem [1]), per immoderatam conversionem ad »bonum creatum, seu temporale« [2]). Si ergo quodvis peccatum veniale ita deordinat hominis voluntatem, per conversionem ad bonum creatum et temporale: quanto magis multa peccata venialia, si per annum multa committantur; quanto magis, si quolibet mense; et adhuc magis si qualibet hebdomada, et adhuc magis, si quolibet die; et adhuc magis, si qualibet hora multis peccatis venialibus offendatur Deus! Tunc enim incredibilis sentitur inordinatio voluntatis,

[1]) S. Thomas loco cit. [2]) Ibid. a. 2.

et immoderata conversio ad bona terrena, et ad neglectum bonorum spiritualium ac divinorum, quae ita sunt repugnantia illis, sicut lux tenebris. Quocirca in tali statu homo existens, perfectus et sanctus esse nullo modo potest. Sanctitati enim e diametro repugnat vita hominis per peccata venialia rebus terrenis adhaerens. Nam ubi sanctitas est, cor a rebus terrenis omnino avellit: ideo graece Sanctus appellatur ἅγιος, quod, ut notat Origenes, et S. Thomas [1]) significat, sine terra. Et ideo S. Thomas [2]) describens quid sit sanctitas, ait: »oportere, quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc, quod supremae rei possit coniungi«. Et hanc coniunctionem ibidem dicit fieri per sanctitatem. Cum ergo terrenae res excitent carnalia desideria tanquam fomenta ipsorum, et ea sint vel causa peccatorum venialium, vel potius ipsa peccata venialia: qui ea frequenter committit, magna impedimenta obicit perfectioni, et sanctitati acquirendae.

Quartum impedimentum peccata venialia afferunt perfectioni et sanctitati (pro eodem enim hic sumitur), quia in vera solidaque perfectione et virtute intrinsece includitur et requiritur summa mundities et puritas animae; ob quam vitae huius summam perfectionem sancti vete-

[1]) 2. 2. q. 81. a. 8. [2]) Loco cit.

res appellabant puritatem, et est apud Cassianum[1]).

Ideo S. Dionysius Areopagita[2]) describens sanctitatem ait: »Sanctitas est ab omni »scelere libera et omnino perfecta, et omni ex »parte immaculata puritas«: quam descriptionem admittit et sequitur S. Thomas[3]). Porro explicans haec verba S. Dionysii S. Thomas[4]) sic ait: »In his verbis tres gradus munditiae de»signantur, qui ad sanctitatem requiruntur«.

»Quorum primus est libertas ab omni im»munditia«. Quodvis autem peccatum veniale, immunditia quaedam est, ideo, vel uno peccato inquinati, non possunt caelos ingredi, quia illuc nil coninquinatum intrabit[5]).

»Secundus gradus munditiae, inquit ibi»dem S. Thomas, est, ut sit munditia perfecta. »Perfectum autem est, cui nihil deest. Contingit »autem quandoque quod aliquis immunditiae »quidem non subiacet, deest tamen sibi aliquid »ad munditiam, in quantum passionibus immun»ditiae inquietatur, quae cum tolluntur, fit per»fecta munditia«. Atqui etiam passionum inquietantium nos motus, cum sunt voluntarii vel in

[1]) L. 49. p. 302. c. 43. Inst. l. 4. c. ult. ibid. p. 461. et l. 12. c. 23. et Coll. I. c. 6. ibid. pag. 488. L. 3. c. 12. §. 2. p. 270. [2]) De div. nom. c. 12. [3]) In l. 1. sent. d. 10. q. 1. ed. Paris 1889. pag. 141. ad 4. et in l. 3. d. 3. q. 1. [4]) Comment. libri: De divinis nominibus lect. 1. [5]) Apoc. 21. 27.

se vel in causa, peccata sunt: sunt enim actus inordinati, contra rectam rationem exurgentes, ideoque si voluntarii sint et non refraenentur voluntarie, peccata sunt. Hoc est enim satis ad reatum peccati.

»Tertius gradus munditiae est, ut sit omnino immaculata, inquit S. Thomas ibidem, »erit autem omnino immaculata munditia, cum »non solum in se ipso aliquis puritatem habet, »sed etiam nihil est exterius quod eum ad immunditiam (scilicet peccatum) trahere possit. »Et in his tribus munditiae gradibus, inquit S. »Thomas, ratio sanctitatis perfecta consistit«. Pondera singula.

Cum ergo quodvis peccatum veniale sit quaedam impuritas et immunditia maculans animam, directe opponitur sanctitati, cui intrinseca est perfecta munditia.

Quod si quis objiciat doctrinam S. Thomae dicentis: Peccatum veniale non proprie »causare maculam, sed tantum secundum quid«[1]): respondendum est, S. Thomam expresse loqui eo loco de tali macula per quam excludatur habitus caritatis et aliarum virtutum, quod non facit peccatum veniale sed mortale, quod pellendo ex anima gratiam, pellit et caritatem et alias omnes virtutes et dona Spiritus Sancti, excepta fide et spe, ut docent

[1]) 1. 2. q. 89. a. 1.

theologi cum concilio Tridentino. Certum tamen est, etiam peccato quovis veniali animam maculari vere et proprie, I° quia ut bene ait Vasquez[1]) vere et proprie homo dicitur mundari, dum a peccatis venialibus mundatur, sive per sacramenta, sive aliis modis in Ecclesia usitatis, uti sunt actus caritatis, contritionis, aliarum virtutum, et usus sacramentalium[2]). II° quia omnes admittuntur ad coelum, qui non sunt coinquinati aliqua macula[3]). Atqui vel uno peccato inquinatus non admittitur, ergo peccatum veniale est inquinatio et macula. III° quia apertissimus de peccatis venialibus est sermo[4]). »Quis potest di»cere mundum est cor meum, purus sum a pec»cato?« Multi autem sunt puri a mortalibus criminibus, ergo vere venialia sunt immunditia et impuritas ac proinde maculae. IV° quia inter effectus baptismi ponitur, quod Christus Ecclesiam lavacro aquae mundet, ut exhibeat sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam[5]). Hoc autem fit, quia et ab originali et a mortali et a veniali mundatur, ergo sunt maculae verae. Atque ita S. Thomas[6]) expresse ait: »Ad tol»lendam maculam peccati mortalis, inductam per »privationem gratiae, requiri infusionem gratiae: »sed ad tollendam maculam venialis peccati,

[1]) 1. 2. disp. 139. c. 4. n. 17. et 18. [2]) S. Thom. 3. q. 87. a. 3. [3]) Apoc. 21, 27. et 14, 5. [4]) Proverb. 20, 9. [5]) Ephes. 5. 25—27. [6]) 3. q. 87. a. 2. ad 3.

»(quam paulo ante, similem dixit esse luto aut »pulveri) requiri aliquem actum procedentem ex »gratia, per quam removeatur inordinata adhae»sio ad rem temporalem«. Idem asserit alibi [1]). Macula autem peccati venialis consistit »in pri»vatione nitoris actualis, et quasi exterioris ful»goris, in quantum impedit nitorem, qui est ex »actibus virtutum«, ut dicit S. Thomas [2]).

Merito ergo S. Augustinus [3]) ea appellat »veluti scabiem... nostrum decus ita exterminan»tem, ut ab illius Sponsi, speciosi forma prae »filiis hominum [4]), castissimis amplexibus sepa»rent«: Et S. Caesarius Arelatensis [5]), venialia peccata ait: »animam non quidem oc»cidere, sed eam velut quibusdam pustulis, et »quasi horrenda scabie repletam, deformem fa»cere. S. Basilius [6]) autem ea sordibus com»parat, quae animae splendorem corrumpunt, et »nativam eius deformant puchritudinem. S. Gre»gorius [7]) sordibus ea ese similia ait. S. Leo [8]) ait: Illis corda sordescere de mundano pulvere. »S. Bernardus [9]): Nobis, inquit, ad immundi»tiam, minima quaelibet inobedientia sufficit;

[1]) In 4. l. sent. disp. 21. q. 2. a. 1. quaest. q. ad 1. [2]) 1. 2. q. 89. a. 1. [3]) Ser. 451. c. 3. n. 5. fin. (al. hom. 50. e quinquaginta hh. L. 39. 1541). [4]) Ps. 44. 3. [5]) Hom. 8. [6]) In Isai. c. 4. ed. Caillona 1833 T. 42. p. 507 med. [7]) In 6. cap. Cant. (L. 79. p. 519. n. 6.). [8]) Ser. 4. Quadrag. (L. 55. p. 275. c. 1). [9]) De Diversis ser. 16. (de tripl. custod.) n. 1. med. (L. 183. 585).

»nec iam naevus est, sed gravis macula, si in »actionibus nostris vel minorum residet negli»gentia mandatorum«.

Vere ergo peccata venialia sunt macula coinquinans animam, ac proinde sancti qui aspirabant ad munditiem Ecclesiae triumphantis, quae sine macula et ruga est, ab eis adeo abhorrebant.

CAPUT VI.

Consuetudo parvi faciendi venialia facit, ut non curetur lapsus in venialia.

Sexta Consideratio seu causa vitandi peccata venialia est, quia peccata venialia tanquam res levis et exigui momenti reputantur, sed ex consuetudine ea parvi faciendi nascitur, ut etiam gravia non curentur, et in occasionibus perpetrentur, quod non fieret, si venialia vitarentur. Nam, ut ait S. Hieronymus[1]). »Non cito ad »maiora progreditur, qui etiam parva formidat: »sicut e contrario, ut scribit S. Isidorus Hispalensis[2]) experimento vel contemptu mi»norum peccatorum, maiora committuntur pec»cata. Habet enim, inquit S. Chrysostomus[3]) »insitum quendam anima pudorem atque inna-

[1]) Ep. 148. ad Celantiam Matronam. L. 22. p. 1207. n. 6. [2]) L. 2. sent. c. 19. n. 1. L. 83. p. 621. [3]) In Matth. hom. 87. L. 58. p. 167. n. 2. circa finem.

»tum, quem subito calcare atque proicere non »potest, sed sensim ac paulatim ex negligentia »perit«. Ideo minimum peccatum veniale pro re magni momenti haberi debet. Quod autem ex hac parva aestimatione venialium deveniatur ad non curanda mortalia, docet experientia, et aliqui Sancti:

S. Chrysostomus in explanatione epistolae ad Romanos: »Exhortor initio, ut caveamus »vel pusilla fugientes mala; nam magna ab his »nascuntur. Etenim qui in unoquoque peccato »edoctus est dicere: non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia pessumdabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, »hoc ianuas reseravit praedoni, hoc urbis moenia deiecit; nimirum, quoties ad unumquodque peccatum dicis: Non hoc magnopere ad »rem pertinere«.

Hoc ipsum expertus S. Dorotheus[1]) docuit: »ut pernoscatis, quod ex his minimis et natura vilibus ad magna et praegrandia con»temnenda perfacile delabamur; cum coeperit »quispiam dicere: Quid refert, si verbum hoc »dixero? quid refert si modicum hoc comedero? »quid refert si in rem hanc intendero et incu»buero? Ex eo enim: Quid est hoc, et quid »est illud, quid refert hoc, quid refert illud? »mala ac perversa et amara consuetudo admit-

[1]) Ser. 3.

»titur, et imbibitur, et datur initium, ut magna »et graviora contemnamus«.

Ideo Sancti minima peccata, tanquam magna et vitabant et admissa deflebant. »Anima, inquit »S. Diadochus[1]) si ardorem ex cupiditate »mundi collectum studiose restrinxerit, etiam »valde parva errata pro gravissimis ducens, la»crimas multas cum multa gratiarum actione »continenter Deo offert«. Tepidorum est, parva peccata tanquam levia ducere. Sed, ut ait S. Isidorus Hispalensis[2]) »si quis a torpore »mentis evigilaverit, ea quae levia existimabat, »confestim quasi horrenda atque atrocia perti»mescet. Et addit[3]): Peccata levia quae ab in»cipientibus quotidiana satisfactione purgantur, »a perfectis viris velut magna crimina evitan»tur. Et quod magis mirum est[4]), etiam S. Paula »Romana teste S. Hieronimo[5]), quod in»ter saeculi homines vel leve putatur vel nihil, »hoc in monasteriis gravissimum dicebat esse »delictum. Ipsa vero ita levia peccata plange»bat, ut illam gravissimorum criminum crede»res ream[6]). Idem S. Hieronimus addit[7]):

[1]) Cap. 27. L. 65. p. 1175. c. 27. [2]) L. 2. sent. c. 10. n. 2. L. 83. p. 610. [3]) Cap. 18. [4]) Quod repeto alias a me allatum, ut id inculcem profundius, et viris persuadeam dicto sanctae faeminae. [5]) Ep. 108 ad Eustochium Virg. L. 22. p. 897. n. 19. [6]) Ibid. p. 891. n. 15. [7]) Ad Celant. Matunam. ep. 148. p. L. 22. p. 1207. n. 6.

»Stoicorum quidem est, peccatorum tollere diffe»rentiam, et delicta omnia paria iudicare, nec »ullum inter scelus et erratum discrimen facere. »Nos vero etsi multum inter peccata distare cre»dimus quia et legimus: tamen satis prodesse »ad cautionem dicimus, etiam minima pro ma»ximis cavere. Tanto enim facilius abstinemus »a quocunque delicto, quanto illud magis me»tuimus«.

Septima Consideratio seu causa vitandi peccata venialia est, quia saepe occasio venialis peccati neglecta, commisso peccato veniali, inducit naturam nostram fragilem ad peccatum mortale. »Consideremus, inquit S. Chry»sostomus[1]), si nimium quidam ac importune »risit, reprehensus a quopiam est; respondet »alius, nihil esse id mali. Quid enim risus aut »quid unquam e risu mali sequetur? Orta tamen »ex immoderato risu paulisper scurrilitas, a scur»rilitate turpiloquium, a turpiloquio operatio tur»pis profecta est«. Disponit enim unum peccatum levius ad aliud gravius, et tandem ad mortale. »Et, ut ait S. Gregorius[2]) cum prius »per levia delicta defluimus, usu cuncta levi»gante, nequaquam post committere etiam gra»viora timemus«. Causam dat alio in loco:[3]) »Ma»ior enim, quo citius, quia sit culpa, agnoscitur

[1]) Hom. 87. in Matt. [2]) S. Greg. M. Moral. l. 10. cap. 11. n. 21. [3]) P. past. c. 34.

»eo etiam celerius emendatur: minor vero, dum »quasi nulla creditur, eo peius quo et securius »in usu retinetur. Unde fit plerumque, ut mens »assueta malis levibus, non perhorrescat gra»viora, atque ad quandam auctoritatem nequi»tiae, per culpas nutrita, perveniat; et tanto in »maioribus contemnat pertimescere, quanto in »minimis didicit non timendo peccare«. Sed etsi omnia peccata connexionem quandam habeant, et ut ait B. Laurentius Iustinianus[1]) »in una malignitatis catena confoederata sint »vitia in animarum ruinam, de immundis spiriti»bus fabricatam atque contextam«, tamen sunt quaedam vitia quae prae ceteris magis inter se et veluti propinquiores annuli vel circuli catenae, immediate connexa sunt; unde ex uno admisso et veluti manu apprehenso, sequitur et trahitur aliud. Talis concatenatio est potissimum inter luxuriam et inter curiositatem oculorum, gulam et colloquia cum feminis non necessaria ac nimia. Explicabo hoc exemplis ex S. Scriptura ac Sanctorum dictis confirmabo. Inprimis Spiritus S. docuit nos[2]). »Propter speciem »mulieris multi perierunt: et ex hoc concupi»scentia quasi ignis exardescit«.

Peccata venialia sunt veluti parva foramina in muro, per quae hostis peccati mortalis potest unus post alterum ingredi. Quocirca, uti monuit

[1]) De vita solit. c. 40. [2]) Eccli. 9. 9.

S. Cyprianus[1]). »Omnes rimae, ne dicam »portae, claudendae sunt, ne per unum foramen »castra omnia penetrentur; et universa sunt »componenda munimenta, ne per modicum non »munitum tota civitas ruat. Ita unius oculi exi»guus neglectus virum secundum cor Dei spo»liavit omnibus thesauris et spiritualibus lucris, »per multos annos acquisitis«. Ideo merito S. Chrysostomus[2]) suis auditoribus inculcabat: »Exiguum neglectum, et omne reliquum »de se ruit. Saepius namque domos aedificantes »homines, et tectum imponentes, unius tegulae »excussae (qualis est unus ictus curiosus oculi »voluntarius) curam non gerentes, totam domum »perdiderunt. Et in vestimentis idem evenire »quis cernere possit. Etenim parva in illis facta »scissura, nec resarcita, magnam fecit disrup»tionem. Hoc et in torrentibus multoties evenit. »Etenim et illi si vel minimum ceperint ingres»sum, totum introducunt fluentum. Itaque et tu, »licet te undique munieris, si tamen aliqua pars »immunita dimissa est, hanc etiam diabolo ob»strue, ut sis ab omni parte firmatus. Ideo hanc »sui timens ruinam S. Iob. dicebat: Pepigi foe»dus cum oculis meis. Cur? Ut ne cogitarem »quidem de muliere«. Sed quid habet cogitatio, que est in mente, cum oculis qui sunt in corpore? O, multum sane. Quia, ut bene ait Quin-

[1]) De singul. cleric. Lit. 2. [2]) Ad pop.

tilianus[1]): Vitiis nostris per oculos via est. Oculos enim, inquit S. Gregorius Nazianzenus[2]) cor nefarios sequitur. Ideo forte S. Chrysostomus[3]) oculos appellat, membrum animi; et Plinius scripsit[4]). Animum in oculo habitare. Ideoque et Deus Pater dixit S. Catharinae Senensi[5]). »Nullum esse in ho»mine membrum quod ita cordi satisfaciat, atque »correspondeat, uti oculus«. Merito ergo S. Iob nolens pati cogitationem foedam, per quam ad patrandum scelus foedum alliceretur, custodivit oculos; aversos a feminarum faciebus aspiciendis habebat, hostique nostro foramen per quod ingredi posset, occludebat. Quod quia non occlusit David, ab hoste turpiter victus est.

Ideo S. Franciscus, ut observavit in eius vita S. Bonaventura[6]). »Non solum morti»ficari debere docebat vitia carnis, et eius in»centiva fraenari, verum etiam exteriores sen»sus, per quos mors intrat ad animam, summa »vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, »colloquia et aspectus, qui multis sunt occasio »ruinae, solicitius evitari iubebat: asserens, per »huiusmodi debilem frangi, et fortem sape spi-

[1]) Declam. I. pro caeco. [2]) Orat. adv. mul. se nimis orn. L. 37. p. 886. [3]) In epist. ad. Coloss. h. 13. L. 62. p. 384. n. 8. [4]) Hist. l. 11. c. 37. ed. Francofurt. 1599. pag. 280. [5]) Dial. c. 89. [6]) Cap. 5.

»ritum infirmari. Ipse vero adeo averterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatem videret, quod »(sicut aliquando socio dixit) quasi nullam cognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis resuscitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem«.

Quocirca S. Basilius[1]) graviter monet nequaquam adire mulieres sine causa gravissima et cum eis colloquia texere; »et ubi nos etiam ipsa necessitas ad id adegerit, ab ipsis non secus atque ab igne cavere: adeo ut quam citissime nulla mora ab istis secedamus«.

Non est res haec parvi momenti: siquidem involuntarius et casualis aspectus feminarum displicet Deo. Extat huius rei admirabile documentum in vita S. nostri fratris Alphonsi Rodriquez[2]), in qua id Romae legi. Cum enim Alphonsus conscientiam solito tempore examinaret, apparuit ei Beatissima Virgo eumque reprehendit, quod illo die, casu sublatis in altum oculis (cum quendam patrem per civitatem comitaretur) invitus feminam vidisset, e fenestra domus prospicientem in plateam; et hac occasione Beatissima Virgo Maria haec tria ei monita dedit: »Quando incedis per viam, non

[1]) Const. mon. c. 3. toto. [2]) L. I. c. 18.

„attolas magis oculos, quam sit necesse ad vi»dendum ubi pedes figas; ad neutrum latus con»vertas oculos, nec caput attollas, sicut hodie »fecisti, quando vidisti mulierem«. Sed non tantum aspectus feminarum venialis ad mortalia peccata disponit, sed et masculorum: Decor enim ut ait Tertullianus[1]) natura sua libidinis invitator est, et quidem invitator violentus et potens. Nam, ut ait S. Hieronymus[2]), »se»mel species forma cordi per oculos alligata, »vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri »ergo non debet, quod non debet concupisci. »Ut munda mens in cogitatione servetur, depri»mendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad cul»pam«. Ideo S. Gregorius Nazianzenus[3]) fortuitum quoque aspectum personarum formosarum vitandum monet: »Cave ne te pulchrae »atque eximiae formae cupiditas superet, neque »tuis abripiaris palpebris, ne quidem, si fieri »potest, ad tenuem furtivumque contuitum«. Eo quod, ut S. Basilius[4]) scripsit: »Sensus tactus, »sensuum omnium perniciosissimus, et saevissime »blandiens, sensusque reliquos in sua ad volup»tatis illecebras pelliciens, ne aspectum quidem »blanda seductione sua immunem abire patitur, »sed eum dum ad horridas tetrasque figuras

[1]) De cultu femin. l. I. n. 2. [2]) In Thren. cap. 3. [3]) Orat. in novam Dominicam. [4]) De vera virginit. col. 3. et 4.

»turbat atque confundit, ad leves, et quae ve»nustiore facie, adiecta coloris gratia, ad fallen»dum formatae sunt, perfundit atque delinit, et »potentiam suam per illum satis insinuat«.

Quae sane res tanti momenti est, ut Beatissima Virgo Maria docuerit S. Birgittam[1]), unum inter detestanta vitia hoc esse: Si quis concupiscat videre pulchras facies. Et Christus Dominus, tradens eidem modum gubernandi corporis, ait[2]): »Datum esse homini visum tan»quam bonum speculatorem, qui discernat inter »hostes venientes et amicos. Tunc autem, inquit, »veniunt hostes, quando oculi desiderant videre »pulchras facies«. Non sine causa gravi, descendit Deus ad danda per se et per Sanctissimam Matrem suam talia monita particularia de re quae videtur parvi momenti, et negligitur a maiore parte hominum. »Daemon enim, ut scribit »S. Cyprianus[3]), et frequens multorum de»ploranda testatur experientia: daemon, inquam, »offert oculis formas illices, et faciles voluptates, »ut visu destruat castitatem. Aspectus enim, ut »ait S. Basilius[4]) per tactum quendam ad »voluptatem animam fallit; iactis enim luminum »radiis, veluti quibusdam incorporeis manibus, »quaecunque voluerit eminus tangit; et quae

[1]) Rev. l. 2. c. 23. post. med. [2]) Ibid. l. 6. cap. 66. post. init. [3]) De zelo et livore. [4]) De vera virginit. col. 4.

»corporeis manibus attingere in potestate non »habet, ex oculorum iactibus passive complec»tens, per eas quas impressit animo, formas, cor»pus omne ad invectas imagines, voluptatis ae»stibus iactat«. Hoc in se expertus Augustinus deplorans foedissimos lapsus suos, ad quos per oculos inductus fuit, conqueritur et ait [1]): »Per quales enim formas ire solent oculi mei, per »tales imagines ibat cor meum«. Utebatur diabolus oculis Augustini, et nunc utitur oculis multorum, tanquam telis, quibus animam et cor eius turpi amore vulnerabat. Hinc ipse alio in loco [2]) ait: »Prima adulterii oculorum tela sunt, secunda ver»borum«. Et S. Ambrosius alia similitudine hoc ipsum explicat [3]). »Voluptas ludentibus iaculatur »retia palpebris, quibus pretiosas iuvenum ani»mas capit; oculis prima tentamenta praeludens«. Sed non tantum iuvenes sic capiuntur, sed et senes. Testantur illi senes Susannae, capti forma illius. Nam, videbant eam senes quotidie, ingredientem et deambulantem (non turpiter) et exarserunt in concupiscentiam eius [4]). Hinc Daniel uni eorum dixit [5]): »Semen Chanaan et non »Iuda, species decepit te, et concupiscentia sub»vertit cor tuum«. Hoc ergo modo peccatum veniale disponit ad mortale, dando occasionem

[1]) Confess. l. 6. c. 1. n. 2. [2]) Scilicer de beato Ioseph 2. [3]) De Abel. l. 1. c. 4. [4]) Dan. 13. 8. [5]) Ibid. vers. 56.

deveniendi ad mortale, et quasi manuducendi ad illud, ob connexionem maiorem cum uno peccato quam sit cum altero, camque tantam, ut, loquendo moraliter, vix sit possibile per quaedam venialia perpetrata, praesertim saepe, non deveniri ad mortalia, ob quandam quasi affinitatem et ob actualem inclinationem, per illa causatam et valde excitatam, cuius vi debilis mens inducitur ad mortale. Tale peccatum est, ut vidimus, curiositas venialis oculorum circa formosas facies, et alias res foedas, valde incentivas libidinis, sive eae aspiciantur sive legantur in libris philosophicis et anatomicis et aliis historiis foedis. Huic affine peccatum est gulae excessus in cibo, praesertim vero in potu, qui tantam vim habet perducendi homines ad mortalia, ut de eo disputans Cassianus[1]) scribere non dubitarit: »Eodem studio istae sunt mentis amputandae lasciviae, quo meretricationis vitium »desecandum. Qui enim gulae superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo aestus carnalis concupiscentiae valebit extinguere? et qui »non quivit passiones in propatulo sitas parvasque compescere, quemadmodum occultas nulloque hominum teste prurientes moderatrice »discretione poterit debellare? Et idcirco per »singulos motus et in quolibet desiderio robur »animae comprobatur, quae si in minimis aper-

[1]) Instit. mon. l. 5. c. 20.

»tisque cupiditatibus superatur, quid in maximis »ac fortioribus occultisque sustineat, unicuique »sua conscientia testis est«.

Atque ita ingeniose et practice S. Basilius[1]) scripsit: »Secundum ordinem membro»rum, esse ordinem vitiorum. Ventre enim di»stento epulis, necesse est ea quae sub ipso sunt »membra ex humoris redundantia in profundo »ferventis, ad propria et naturalia officia moveri. »Quippe superior venter suppetit illis incentiva »libidinis. Ceterum voracitas, materias ac fo»menta eius ardoris instillat. Ante omnia igitur »adversus gustum Virgo tota intentione pugna»bit, fontesque voluptatum ventris, et impudici»tiae fomitum inde manantium a principio, ca»stitatis studio et ardore siccabit; ne, dum vir»ginitatem servare proponit, gustatui se immo»derate prostituens, castitatem suam alia fruendi »voluptate devicta, sensim dum nescit, amittat«.

Hinc idem S. Doctor graecus Basilius[2]) multis suadet et fugam gulae, tanquam originem gravissimorum peccatorum: »Cave, inquit, ne te »adversarius simili atque primum parentem pec»cato circumveniat circumventumque quampri»mum de paradiso deliciarum expellat. Nam quod »illum callida escae obiectione ita malitiose vita »spoliavit, et item Iesum eodem se modo sup»plantaturum speraverat; nihil est quod is ve-

[1]) De vera virg. [2]) Ser. de abdicat. rer. col. 5.

»reatur, quin et tanto ausit confidentius tibi quo-
»que primam malorum originem propinare. Ete-
»nim praesentissimum hoc esse ille venenum in-
»telligit. Siquidem gulae vitium non in escarum
»copia naturae suae vim positam exerere novit,
»sed in voluptate atque gustatu, licet modicis
»admodum utare. Quod si ita est, ut vel brevis-
»sima, modo gustatu percepta delectatio, obno-
»xium te istiusmodi morbo valeat efficere: haud
»dubie id te nullo negotio ad interitum dabit.
»Ut enim fons aquae si plures in rivulos dis-
»sectus, vicina rivulis illis loca omnia herbarum
»viriditate convestit et quasi pubescere facit: sic
»vitium gulae, si per cordis tui venas se effude-
»rit et distraxerit, indeque permeans sensus tuos
»omnes irrigarit, ubi libidinum multarum in te
»silvam conseverit, animum tuum ferarum habi-
»taculum efficiet. Etenim multos ego animadverti
»saepe, qui cum alterius cuiusvis generis vitiis
»laborarent, ad sanitatem tamen redierint post-
»ea: qui autem hoc morbo tenerentur, ut aut
»in occulto haesitare eos delectaret, aut ventris
»ingluvie duci se sinerent, neminem ex omnibus
»vidi unquam qui convaluerit. Nam aut a conti-
»nentiae cultorum vitae se societate penitus
»abruperunt, seseque capitalibus huius vitae ille-
»cebris dediderunt, aut dum inter eos occultare
»se studuerunt, voluptatibus addicti, duce dia-
»bolo stipendia meruere. Nam qui istiusmodi
»sunt, ii mendaces sunt, ad iusiurandum parati,

»periuriosi, litigiosi, pertinaces, clamosi, et qui »saturi, edisse se (praesertim extra domum) per- »tinacissime pernegent; illiberales, qui victu de- »licato apprime gaudeant, queruli, aliorum curiosi »exploratores, tenebriones, totius honestae vitae »de industria inimici, qui ut gulae libidinem »obtegant, innumerabilibus se aliis vitiis invol- »vunt; qui cum habitu quidem inter salvos esse »videantur, rebus ipsis inter perditos numerandi »sunt. Haec fuit quae Adae interitum et post »ipsum etiam universae illius potestati exitium »apportavit. Gulae libido ea est, per quam lu- »dibrio habetur Noe, et Cain maledictioni subii- »citur; per hanc primogenita amittit Esau, et »cum Chananaeis affinitate coniungitur. Lot, se »cum filiabus miscet, idem sui ipsius gener »factus ac socer; et, qui parens antea, modo vir, »etiam postea efficitur et avus, parens; utrinque »in praescriptos a natura hominibus fines petu- »lanter protervus. Haec Israelitas induxit ut si- »mulacrum adorarent; iisdem causa fuit quamob- »rem in illa solitudinis vastitate eorum cada- »vera prostrata sint. Haec prophetam, qui a Deo »ad obiurgandum scelestum regem fuerat mis- »sus, ferae bestiae devorandum obiecit; et de »quo, universo regio suo apparatu Hieroboam »rex poenas sumere non potuerat, is gutturis »fraude implicatus, miserabili admodum morte »consumitur. Quid contra Daniel vir desiderio- »rum, nonne quod gulae libidinem compresserit,

»regno potitur Chaldaeorum? Nonne simulacra »demolitur et draconem interimit, et leonum »paedagogus efficitur, idoneusque habetur qui »Deum humana se forma induturum praenunciet, »et abstrusa mysteria palam interpretetur? Quid? »nonne facti gulae libidine superiores tres in»nocentes illi adolescentuli regiam iram pro ni»hilo duxere? et horrificam illam fornacem Na»buchodonosoris regis iussu succensam intrepidi »contempsere? et statuam illam auream, quam »pro Deo coli ille iubebat, futilem ac nullius »prorsus pretii esse docuere? et quae non nisi »longo temporis spatio fabricari potuerat, eam »repentino asportatam. optimo Domino suo spo»lium attulere; iidemque effecere ut rex ipse in»fensissimus una cum universo ipsius, quam ad»versus Deum copiarum instruxerat, apparatu, »universaque rerum natura, mirificis eum laudi»bus efferrent? Ac, ne multa, si gulam in officio »continueris, paradisum habitabis: sin minus, »hoc tibi persuade, pabulum te mortis futurum. »Fidelis esto virtutum thesaurus, alacri utere »spiritualis tui patris lingua; haec sit, quae tibi »os ad sumendum panem (hoc est, esculenta et »poculenta) aperiat, haec item quae claudat«. Vult dicere, sine licentia tui superioris nil comede, nil bibe, et quidem sine licentia expressa quae per os, sermone declaratur, dum ab eo conceditur. Serpentem nolito tibi consiliarium adhibere (scilicet daemonem, qui specie serpentis

Evam ad edendum pomum vetitum adduxit). »Consilio enim suo ille, adulterina veluti quadam clave, circumvenire te habet in animo, tibique vel in ipso etiam linguae gustatu insidias artificiose molitur. Cave, ne clandestine haesitationis peccatum incurras. Etenim si in re parva supplantare te ille potuerit, sine dubio tota te lucta prostratum vinculis postea arctissime constrictum tenebit«. Ita hic sanctus et multae experentiae Pater, ex gulae peccato etiam parvo, deveniri ad gravissima mortalia ostendit.

Ideo mirum non est Sanctos praecipere, ut primum omnium gulae vitium expugnetur ab iis qui volunt aliis carere vitiis. »Nullus, inquit S. »Gregorius Papa[1]) palmam spiritualis certaminis (scilicet victoriam de vitiis nullus obtinet) apprehendit, qui non in semetipso prius »per afflictam ventris concupiscentiam, carnis incentiva devicerit. Neque enim ad conflictum »spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra »nosmetipsos hostis positus, gulae videlicet appetitus, edomatur, quia si non ea quae nobis »sunt viciniora prosternimus, nimirum inaniter »ad ea quae longius sunt impugnanda transimus. »Incassum namque contra exteriores inimicos in »campo bellum geritur, si intra ipsa urbis moenia civis insidians habetur. Mens quoque ipsa

[1]) Mor. l. 30. c. 18.

»certantis sub gravi confusionis dedecore, a spi-
»ritualis certaminis congressione repellitur, quan-
»do infirma in carnis praelio gulae gladiis con-
»fossa superatur. Nam cum se parvis prosterni
»conspicit, confligere maioribus erubescit. Non-
nulli vero ordinem certaminis ignorantes, edo-
»mare gulam negligunt, et iam ad spiritualia
»bella consurgunt. Qui aliquando multa etiam
quae magnae sunt fortitudinis faciunt, sed, do-
»minante gulae vitio, per carnis illicebram omne
»quod fortiter egerint perdunt; et dum venter
non restringitur, per carnis concupiscentiam si-
»mul cunctae virtutes obruuntur. Unde et de
»Nabuchodonosor vivente, scribitur: Princeps
»coquorum destruxit muros Hierusalem. Quid
»enim per muros Hierusalem significans Scriptura
»exprimit nisi virtutes animae, quae ad pacis
»visionem tendit? Aut quis coquorum princeps,
»nisi venter accipitur, cui diligentissima a co-
»quentibus cura servitur? Muros igitur Ierusalem
»princeps coquorum destruit, quia virtutes ani-
mae, dum non restringitur venter, perdit. Hinc
»est quod Paulus contra Ierusalem moenia de-
»certanti vires coquorum principi subtrahebat,
»cum diceret: Castigo corpus meum et servituti
»subiicio: ne forte aliis praedicans, ipse repro-
»bus efficiar. Hinc etiam praemisit dicens: Sic
»curro, non quasi in incertum; sic pugno, non
»quasi aërem verberans. Quia cum carnem re-
»stringimus, ipsis abstinentiae nostrae ictibus non

»aërem, sed immundos spiritus verberamus; et »cum hoc quod est intra nos subiicimus, extra »positis adversariis pugnas damus«. Haec et plura alia S. Gregorius prosequitur, ostendens per gulae vitia hominem non tantum disponi, sed ad peccata gravia perduci.

Quocirca merito S. Ioannes Climacus[1]) dicit: »Qui servit ventri suo, et interim co»natur spiritum luxuriae vincere, perinde fa»cit, atque is qui incendium oleo vult extin»guere«. Gula enim est fons et origo omnium vitiorum, teste S. Chrysostomo[2]) vel ut idem ait:[3]) est radix et mater omnium. Unde mirum non est primum praeceptum a Deo huiusmodi datum a Deo, fuisse vetans gulae vitium. Voluit enim Deus hoc facto ostendere, se vetando esum certi pomi, velle radicem malorum gulam extirpare ex mundo. Quod quia non servavit Adam, et sibi et posteris suis modo ordinario conceptis, vehementer nocuit. Nam, ut ait Apostolus[4]), »In eo omnes peccaverunt«. Propter haec igitur motiva tanquam a facie colubri vitemus omnia peccata venialia, ne per illa perducamur ad mortalia, et Deum ex anima nostra excludamus, et fiamus mancipia diaboli, ad poenas aeternas inferni destinata.

Quo autem agnoscatur magis et gravitas et

[1]) In Scala parad. Grad. 14. [2]) Hom. 1. [3]) In Math. hom. 58. [4]) Rom. 5. 12.

malitia peccati venialis deliberate commissi, ponderandae sunt poenae gravissimae, quibus Dominus Deus afficit homines in hac vita ob peccata venialia deliberate commissa. Qua de re post alios Tanner[1]) sic ait: »Dubitatur primo, an Deus etiam poena aliqua spirituali puniat peccatum veniale in hac vita? Respondetur ex communi theologorum sententia affirmative, tum quia peccata venialia minuunt fervorem caritatis, seu expeditum usum exercitationis virtutum; tum quia ad peccata mortalia in hac vita disponunt. Quorum utrumque triplici ratione accidit: I°, quia abundantiora auxilia gratiae plerumque per illa minuuntur et interciduntur, II°, quia Deo permittente tentationes augere sinunt; III°, quia consuetudine inducitur habitus pravus, qui et virtutis exercitationem difficiliorem reddit, et ad similia peccata graviora disponit, ut recte etiam notavit Lessius[2]). Qui etiam addit, non solum ob peccata, sed etiam ob teporem et neglectum quendam divinarum inspirationum, qui tamen per se non sit peccatum, divina auxilia plerumque minui. Cui enim Deus magna auxilia offert, et res magnas inspirat, si ille vel angustia animi, vel affectu commodioris vitae negligat, et eo nomine, quod »non sint praecepta, nolit consentire divinae vo-

[1]) T. 2. disp. 4. q. 10. n. 68, 69, 70. [2]) De perf. div. Lib. 13. c. 15. n. 23.

»cationi, meretur in posterum huiusmodi desti»tui, et minoribus duntaxat iuvari; meretur, ut »Deus non tanta illum cura tueatur, non tantis »praeveniat excitamentis, non tantis dirigat suc»cessibus; hinc multae tentationes, multae afflic»tiones corporales et spirituales, multaque salutis »pericula. Unde magni, inquit, rerum spiritua»lium magistri, periculosum censent neglectum »divinarum inspirationum et teporem in pro»gressu spiritus, eoque referunt minas illas Spi»ritus S. [1]): Quia tepidus ei, et nec frigidus ne»calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Et »illud [2]): Hodie si vocem eius audieritis, nolite »obdurare corda vestra. Et illud [3]): Quia vocavi »et renuistis, extendi manum meam et non fuit »qui aspiceret etc. ego quoque in interitu vestro »ridebo«. Ita Lessius, inquit Tanner. Quod quidem Tanner approbat, dicens: »Deum suo »arbitratu ratione quidem convenienti uberiora »auxilia gratiae subtrahere iis, qui eis non utan»tur aut male utantur, negat tamen id fieri pro»prie per modum poenae, ubi nulla culpa prae»cessit«. Sed esto, non sit per modum poenae, satis est si subtractio auxiliorum Dei uberiorum, sit per modum mali effectus et damni ex peccatis vel tepiditate, et ex non usu aliorum auxiliorum Dei oriatur. Parum enim refert militi pugnanti cum hoste potentiore, si ei dux non

[1]) Apoc. 3. 15. [2]) Psalm. 94. [3]) Prov. 1. 24.

submittat auxilia qualiacunque tandem sint, etsi id non faciat ex odio eius nec per modum poenae, sed tantum ob aliquam causam non culpabilem illius militis, uti supra dixi. Ita in casu nostro, magnum est hoc damnum a peccato vel tepore profectum.

Concludam hoc caput sententia sancti et docti theologi: is est B. Albertus Magnus [1]). »Peccatum, inquit, veniale minuit fervorem charitatis sicut aqua in ignem proiecta; licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Item potentias animae in bonis operibus lassat sicut quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Item bona gloriae caelestis diminuit, non quidem illa quae iam habemus ibi per meritum reposita, sed quae deberentur, si venialia non fuerint, quia in eo tempore possent aliqua bona fieri, quando illa fiunt«.

CAPUT VII.

Moyses ob solum peccatum veniale graviter a Deo punitus, ostendit gravitatem peccati venialis

Videamus nunc in particulari, quantopere Deus puniverit ob solum unum peccatum

[1]) Compend. Theolog. l. 3. c. 13.

veniale deliberate commissum carissimos sibi servos et in veteri et in nova lege.

Cum enim adeo Deus suos servos amet qui ei fideliter serviunt, uti scimus, sicut pupillam oculi sui [1]) quo modo appellabat Iudaeorum gentem, in qua tamen erant pessimi homines, et inter quos pauci erant veri Dei servi: magnum signum est, peccatum veniale esse rem magnam, et Deo valde exosam, si valde in illis a Deo punitum est.

Consideremus I° id in Moyse; quantopere fuerit Deo carus et ei intimus ideoque adeo exaltatus, patet ex sacra Scriptura, inqua quoad vitae sanctimoniam et eius certa indicia haec de eo legimus: »Dilectus Deo et hominibus Moyses« [2]). Deus autem non diligit nisi sibi caros, maxime tali dilectione ob quam Spiritus Sanctus appellat aliquem Deo dilectum, sicut in nova lege S. Ioannem Evangelistam appelat discipulum quem diligebat Iesus.

II°. Ibidem de eo dicitur: »Similem illum fecit in gloria Sanctorum« [3]); hoc est, adaequavit eum gloriae sanctorum patriarcharum, et claritate nominis et meritis ac virtutibus, et excellentia ac gloria operum per eum patratorum, quibus etiam alios sanctos superavit; quia, ut dicitur [4]). »Non surrexit ultra propheta in Israel,

---

[1]) Zach. 2. 8. [2]) Eccli. 45. 1. [3]) Eccli. 45. 2. [4]) Deut. 24. 10—12.

»sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad »faciem, in omnibus signis atque portentis, quae »fecit in Aegypto, et mirabilia magna quae fe»cit coram universo Israel«.

III°. Cum Maria et Aaron contra Moysen murmurassent propter uxorem eius Aethiopissam, idque audivisset Dominus, statim locutus est ad eum et ad Aaron et Mariam: »Egredi»mini vos tantum tres, ad tabernaculum foede»ris. Cumque fuissent egressi, descendit Domi»nus in columna nubis, et stetit in introitu ta»bernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum »issent, dixit ad eos: Audite sermones meos: si »quis fuerit inter vos propheta Domini, in vi»sione apparebo ei, vel per somnium loquar ad »illum. At non talis servus meus Moyses, qui in »omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad »os loquor ei, et palam, et non per aenigmata et »figuras Dominum videt. Quare ergo non timui»stis detrahere servo meo Moysi? iratusque con»tra eos abiit, nubes quoque recessit quae erat »super tabernaculum: et ecce Maria apparuit »candens lepra, quasi nix« [1]). Pondera singula breviter.

IV°. Adfertur causa, cur Dominus causam egerat pro Moyse cui detraxerant soror et frater: »Erat enim Moyses vir mitissimus super »omnes homines qui morabantur in terra« [2]).

[1]) Num. 12. 4—9. [2]) Num. 12. 3.

Magnum est indicium eximiae virtutis esse mansuetum et mitem, praesertim in iniuriis Dei et propriis. Ideo Christus Dominus S. Brigittae[1]) revelavit, inter causas ob quas B. Virgo fuit super omnes Angelorum choros exaltata in caelis, fuisse eius mititatem. Et S. Dionysius Areopagita (citatus a S. Thoma)[2]) ad Demophilum[3]) scribit, »Moysen propter multam »mansuetudinem Dei apparitione dignum habi»tum«. Hinc et Plutarchus[4]), ait profectum »consistere non in vacuitate affectuum, sed in »remissione quadam et mansuetudine eorum de»finiendum esse«. Maximam autem mititatem ostendit Moyses, quando per quadraginta annos deducens tres hominum milliones, id est trigesies centena hominum millia durae cervicis sustinuit, saepe lacessitus murmurationibus, calumniis, probris, etiam lapidibus appetitus, tamen ultus non est, sed oravit pro eis. Merito ergo dicitur de eo[5]). »In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum«. Murmurationes ante Deum et contra ipsum multae leguntur in S. Scriptura[6]).

V⁰. Appellatur fidelissimus Dei servus[7]). »Servus meus Moses, in omni Domo mea fidelissimus est«: Fuitque tantae fidelitatis in domo

[1]) Revel. l. 1. c. 51. post. med. [2]) 2. 2. q. 157. a. 4. ad 1. [3]) Epist. 8. in princ. [4]) In Opusc. de profectus indiciis. [5]) Eccli. 45, 4. [6]) Num. 11, 10. 11. et 14, 2. 19. 41. 43. et c. 16, 1. 48. [7]) Num. 12, 7.

Dei, ut Apostolus eius fidelitati Christi in carne fidelitatem comparet, vel fidelitatem Moysis Christi fidelitati similem dicat [1]). »Considerate, inquit, Apostolum et pontificem confessionis nostrae Iesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo eius«. Magnus est iste titulus esse fidelem Dei servum: siquidem et Christo ab Apostolo tributus, et aliis Sanctis primis episcopis ab eodem, ut Timotheo, Tychico, Epaphrae, Onesimo et aliis eius coapostolis [2]) quos omnes Sanctos fuisse certum est, quia hi omnes a Paulo nominati fideles, sunt positi in martyrologio romano tanquam sancti eius familiares et noti. Sic etiam S. Petrus, laudans Sylvanum non aliud quam fidelitatem ei adscribit [3]). Hinc et Spiritus S. Christi Domini et Verbi Dei nomen ait [4]) fuisse Fidelis. Et Ecclesia inter laudes Deiparae in litaniis, quae vocantur Lauretanae, vocatur Virgo Fidelis. Hinc merito S. Franciscus, teste S. Bonaventura, in eius vita [5]) saepe suis fratribus dicebat: »De omni eo quod peccator potest, nemo »debet sibi iniquo blandiri applausu. Peccator »ieiunare potest, orare, plangere, carnemque pro»priam macerare; hoc solum non potest, Do»mino scilicet suo esse fidelis«. Qui ergo ab

[1]) Hebr. 3, 1. 2. [2]) Gal. 3. 9. Eph. 6. 2. 1. Coloss. 1. 7. et cap. 4. 9. 1. Cor. 4. 2. [3]) I. Petr. 5. 2. [4]) Apoc. 19. 11. [5]) Cap. 6.

ipso Deo et in veteri lege et in nova fidelis. imo in superlativo fidelissimus appellatus est: ob sanctimoniam vitae, tanquam Deo carissimus hanc appellationem promeritus est.

VI°. Sanctimoniam quoque eius indicat summa familiaritas, qua conversabatur cum Deo. Nam scribitur [1]). »Loquebatur Dominus ad Moy»sen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad »amicum suum. Et Deus ipse dicit [2]): Si quis »fuerit inter vos propheta Domini, in visione »apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. »At non talis servus meus Moyses; ore enim ad »os loquor ei, et palam, et non per aenigmata »et figuras Dominum videt«. Ex quo loco colligunt Doctores, Moysen clare vidisse divinam essentiam per modum transeuntis [3]).

VII°. Ostendit et hoc Moysis conditionem eximiam, quod fecerit eum Deus Christi antitypum, et ei Christum assimilaverit, et tanquam simillimum proposuerit populo suo [4]). »Prophe»tam suscitabo eis de medio fratrum suorum, »similem tui: et superius dixerat [5]): Prophetam

[1]) Exod. 33, 11. [2]) Num. 12, 6. 8. [3]) S. Ambrosius l. 1. Haexam. c. 2. S. Aug. l. 12. de Gen. ad lit. c. 26. 27. 28. et epist. 112. c. 12. et 13. S. Basil. h. 1. hexam. S. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. et 2. 2. q. 175. art. 3. et q. 174. art. 4. Abulensis in c. 5. Matth. q. 46. ad 4. Hugo Victorinus q. 34. in 2. ad Corinth. Durandus in 4. d. 46. q. 6. Sixtus Senensis l. 5. c. 41. Lyranus, Beda. [4]) Deut. 18. 18. [5]) Ibid. 15.

»de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, su»scitabit tibi Dominus Deus tuus«.

VIII⁰. Miracula admiranda quae Deus per eum patravit nota omnibus etiam sanctitatem eius declarant. Ideo eum fecit et vocavit Deus »Deum Pharaonis« [1]).

Miracula autem, ut ait S. Gregorius [2]) et S. Bernardus [3]) sunt signa meritorum.

IX⁰. Ter [4]) per quadraginta dies et noctes protractum ab eo ieiunium et oratio, etiam magnam indicat sanctimoniam vitae, et splendor faciei, cum quo rediit ad populum [5]) post secundum ieiunium quadraginta dierum. Ingressusque Moyses medium nebulae ascendit in montem et fuit ibi 40 diebus et 40 noctibus de primo dicitur [6]). Secunda autem mansio, inquit Cornelius [7]), coepit postridie, quam ex prima descenderat mansione.

X⁰. Quod eo Deus usus sit, uti loquitur S. Stephanus [8]) »tanquam principe et redemptore populi sui«, dum liberavit eum tam miro modo per tot plagas immissas et oratione brevi ablatas, per mare Rubrum sicco pede traduxit divisum virga eius.

---

[1]) Exod. 7, 1. [2]) Moral. l. 2. c. ult. [3]) De Ascens. ser. 1. n. 2. [4]) Ut putat Salianus A. M. 2544. nu. 624, 625, 626, 627, et aliqui alii quos ibi citat, etsi Serarius et Cornel. tantum bis putant. [5]) Exod. 34, 28. 29. [6]) Ibid. 24, 18. [7]) In Exod 34. 28. [8]) Act. 7. 35.

XI°. Et hoc sanctitatis argumentum est, quod »negavit se esse filium filiae Pharaonis, magis »eligens affligi cum populo Dei, quam tempora»lis peccati habere iucunditatem, maiores divi»tias aestimans thesauro Aegyptiorum imprope»rium Christi« [1]).

XII°. Quod etiam per eum primum Deus suam legem populo suo dederit, et Ecclesiae suae historiam, rerum a mundi initio gestarum ad sua tempora, »et nomen suum ei manifestarit«, quod non manifestaverat Abraham dilecto suo [2]) quam ob rem S. Gregorius [3]) Moysen in scientia Dei praefert Abrahamo, et merito.

XIII°. Quod oratione sua tam multa difficilia impetravit facile: cessationem plagarum repentinam [4]). Eius precibus cessat incendium caelitus excitatum contra murmuratores [5]) et aliorum peccatorum dimissionem impetrat [6]). Alia loca de efficacia eius orationis sunt [7]) et sola manuum elevatione Amalecitas debellavit [8]).

XIV°. Quod non Iosue, ut putat S. Ephrem, sed Deus sepelivit eum ministerio angelorum, ut ait S. Epiphanius [9]) frustra resistente diabolo, inquit Cornelius. Id textus indicat: »et sepelivit eum« [10]), scilicet Dominus, quo iubente est

[1]) Hebr. 11, 24. 25. [2]) Exod. 6, 3. [3]) In Ezech. hom. 9. [4]) Exod. 8, 12. 13. 30. 31. et c. 9, 33. et c. 10, 18. 19. [5]) Num. 11, 2. [6]) Ibid. 14, 19. 20. [7]) Psalm 105, 23. [8]) Exod. 17, 11. [9]) Haer. 9. [10]) Deuter. 34, 5. 6.

mortuus. Cur autem Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, ut habetur in epistola S. Iudae [1]) respondet ibi Oecumenius: »Dicitur Michael ministerium »praebuisse in sepeliendo Mose, id non ferebat »diabolus, sed accusationem afferebat: Mosen »indignum esse sepultura, eo quod occidisset »Aegyptium, eumque sepelisset in sabulo, et »propterea non permittebat ut honorificam con»sequeretur sepulturam. Serrarius autem commentans epistolam Iudae, ideo putat altercatum diabolum de Moysi corpore ne sepeliretur prope Phogor (ubi sepultus est [2]) quia ibi colebatur, ideoque timuit iuxta se reponi corpus tam sancti viri, ne ab ipso vel loco pelleretur, vel obmutescere cogeretur. Magna commendatio sanctitatis eius, non humanis, sed angelicis manibus eum esse sepultum, uti de S. Catharina fatetur Ecclesia.

Fuit ergo et Sanctus, et Legislator et Propheta, et ut ait S. Hieronymus [3]) etiam Apostolus, idque ex communi Hebraeorum sententia; et ut dicit S. Gregorius Nazianzenus: »Principum princeps, et sacerdotum sacerdos sanctissimus« [4]).

Merito ergo S. Ambrosius [5]) ait, Moysen

[1]) 1, 9. [2]) Deut. 34, 5. 6. [3]) Initio commentarii in ep. ad Galatas. [4]) Orat. 22. [5]) De Cain et Abel cap. 2.

»humanae dignitatis conditionem excessisse eo »usque, ut Dei vocaretur nomine. Posui, ait, te, »Deum Pharaonis. Etenim victor passionum »omnium, nec ullis saeculi captus illecebris, qui »omnem istam secundum corpus habitationem, »coelestis puritate conversationis obduxerat, men»tem regens, carnem subiciens, et regia quadam »auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, »ad cuius similitudinem se perfectae virtutis »ubertate formaverat. Quarum virtutum praesi»dio, bene potuit, ut ait S. Augustinus[1]) pro »eis quibus praefuit, Deo se interponere consu»lenti, et opponere irascenti. S. Gregorius »Nyssenus, tanquam exemplar quoddam per»fectionis vitam Moysis descripsisse se ait. Adeo »autem plenus erat Spiritu, inquit S. Grego»rius Papa[2]) ut de eius spiritu Dominus tule»rit, et 70 rectoribus populi communicarit[3]). »Sanctus vero Ephrem[4]) ait eum fuisse in »utero matris sanctificatum, quod quidem negat »Cornelius[5]): ait autem, certum esse Mosen vita »functum in monte Abarim ab Angelis sepultum esse, unde non cognovit homo sepulcrum eius[6]). »Atque haec fuit ratio, cur Michael Archangelus »cum diabolo altercatus sit de Moysis corpore: »ut ait S. Iudas in sua epistola.

[1]) Contra Faust. l. 22. c. 69. [2]) Past. p. 2. cap. 5. [3]) Num. 11. 17. [4]) Orat. de Transfigurat. Domini. [5]) In Pentateuchum sect. 8. initio. [6]) Deut. 34, 6.

Tamen vir sanctus, adeo carus Deo, quia cum dubitatiuncula quadam percussit petram [1]), audivit sibi dici a Deo [2]): »Quia non credidistis »mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, »non introducetis hos populos in terram quam »dabo eis«. Quod in Aarone exacte impletum est, quippe qui mortuus fuerit in deserto: At Moses, inquit Salianus [3]) »etsi in Chananitidem trans Iordanem penetrare permissus non »est, pervenit tamen ad terras cis Iordanem, in »quibus Israelitae Og regem Basan, et Seon, regem Amorrhaeorum cum populis suis deleverunt, corumque regionem tribubus Ruben et Gad, et dimidiae tribui Manassis, Moyses ipse distribuit. Et idem Salianus addit: [4]) Afflixit haec poena Moysen vehementer, ut patet ex »Deuteronomio, multis locis [5]) ubi coram populo »non sine gemitu recitat se populi causa iram »Dei incurrisse, et spe ingrediendi terram pro»missionis excidisse. Et licet id petiisset a Deo [6]) »hoc retulit responsum [7]): Nequaquam ultra lo»quaris de hac re ad me«. Unde intellexit, esse immutabile hoc decretum contra se et Aaron; quod decretum vocat postea iusiurandum [8]) »Ira»tus est Dominus contra me propter sermones »vestros, et iuravit ut non transirem Iordanem

[1]) Num. 20, 10. [2]) Ibid. 12. [3]) Apo. 25. 83. n. 15. [4]) Ibid. n. 17. [5]) 1. 37. c. 3, 26. c. 4, 21. [6]) Deut. 3, 23. [7]) Ibid. 26. [8]) Deut. 4, 21.

›nec ingrederer terram optimam, quam daturus ›est vobis‹. Quia in re Moysen non peccasse mortaliter, sed tantum venialiter docent S. Augustinus[1]) et Anastasius Nicaenus[2]) fretus auctoritate S. Basilii[3]). Abulensis[4]) Bellarminus[5]), Sanctius[6]), Lorinus, Cornelius, Bonfrerius[7]). Salianus[8]), Alvarez[9]), Masuccius[10]), Tyrinus[11]), Eusebius Nieremberg[12]).

Nec potuit valde dubitare, tum quia tot alia miracula fecit in Aegypto: tum quia e petra antea aquam eduxerat[13]); dubitatio ergo fuit, ne ob peccata populi Deus revocaret promissam aquam. Ideo ait: Iratus mihi Dominus propter vos[14]). Contigit enim haec eductio aquae anno quadragesimo ab egressu ex Aegypto, ante quod tempus multis peccatis Deum offenderat populus ille durae cervicis. Caietanus putat ideo peccasse Moysen, quia Deus iussit, ut Moses iuberet rupem ad solum imperium suum, invocato Dei nomine aquas sine percussione profundere.

[1]) Quaest. in Heptateuch l. 4. q. 53. et cont. Faust. l. 16. c. 16. [2]) Quaest 35. in Script. [3]) Prooem. in l. moral. [4]) Q. 5. et 14. in c. 20. Num. [5]) Serm. 5. de iustit. Dei punit. [6]) In c. 6. l. 2. Reg. n. 33. et in 3. Reg. 13. n. 17. [7]) In cap. 20. Num. v. 10. [8]) A. 25. 83. num. 303. [9]) S. 2. de extrem. mali l. 1. p. 1. c. 11. [10]) L. 5. de convers. cael. c. 3. n. 7. [11]) In c. 20. Num. et in 3. Reg. 13. 21. [12]) Doctr. Ascert. l. 2. c. 73. [13]) Exod. 17, 6. [14]) Deut. 1, 31.

Sulpicius Severus[1]) ait peccasse, »quod per »diffidentiam non nisi iterato ictu aquam eduxit, »cum Deus semel iusserit rupem percutere«. S. Augustinus[2]) ait diffidentia et incredulitate peccasse utrumque, idque ex alio textu[3]) appareret. Non enim fidem habuerunt Deum ad vocis humanae iussionem aquam educturum, sanctificatio autem sive glorificatio Dei hic defecit eo quod non ostensus est coram populo, ut volebat, potens educere aquam de petra ad imperium servi sui. Si ergo Deus in tanto propheta et tam caro amico suo, unum peccatum veniale punit exclusione eius ab ingressu in terram promissam, immo ut Sanctius loco citato ait, morte ei ob id immissa, idque dicit communem esse Patrum sensum, et colligitur ex Deuteronomio ubi dicitur[4]): »Mortuusque est ibi (id est, »super montem Nebo[5]) Moyses servus Domini »in terra Moab (hostili) iubente Domino: quae »iussio scripta est:[6]) Ascende in montem Nebo, »et morere in monte«. Ita ergo ob hoc peccatum est a Deo veluti occisus, nam de morbo nil dicitur, imo scribitur[7]), quando mortuus est, non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Verbo ergo Domini iubente ut moreretur in poenam venialis incredulitatis, anima separata est

---

[1]) Lib. 20, h. 21. p. 108. [2]) Q. 19. in Num. [3]) Num. 20. 12. [4]) Deut. 34. 5. [5]) Ibid. ver. 1. [6]) Ibid. 32, 49. [7]) Ib. 34. 7.

a corpore. Unde Septuaginta et Chaldaeus paraphrastes vertunt: »Mortuus est Moses per verbum Domini«. »Cum videam, inquit S. Basilius [1]), Moysen famulum et summum veri Dei »cultorem, illum magnum, et qui tanto honore a Deo dignus habitus est, ut illud audiret [2]): Novi te prae omnibus, et invenisti gratiam in »conspectu meo; cum videam hunc veniam deprecari, nec tamen eam consequi: et huic nullam veniam dari ob tot ac tanta egregia facta, solum propter breve illud dictum (scilicet: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere) nonne plane perspicio illam severitatem Dei, quam describit Apostolus [3]) nonne et illud verum esse mihi patiar persuaderi, si iustus vix »servabitur, impius et peccator quo tandem in »loco comparebit« [4]). Sic Petro iubente occisi vel mortui Ananias et Saphyra, ob peccata gravia [5]), quae fuisse sacrilegia, et voti violationem, docent SS. Patres Basilius [6]), Chrysostomus [7]), Hieronymus [8]), Augustinus [9]), Cyprianus [10]), Gregorius [11]), Fulgentius [12]). Et hanc fuisse Patrum mentem scribit

[1]) Or. 3. de peccato. [2]) Exod. 33. 12. [3]) Rom. 11. pass. [4]) I. Pet. 4. 18. [5]) Act. 5, 5. 10. [6]) De inst. mon. [7]) In Acta h. 12. [8]) Ep. 8. ad Demetriadem et ep. ad Rusticam et Paulinam. [9]) Ser. 27. de verb. Apost. et ser. 10. vel 12. de diversis in edit. Lovan. [10]) L. de exhort. ad martyr. [11]) Ep. 3. ad Venant. [12]) Epist. de debito coniug. c. 8.

Baronius[1]. Qua in re, ut summatim dicam omnia, consideranda sunt haec:

I°. Tam carum, tam a se illustratum et gloriosum redditum apud omnes servum, pro peccato veniali fuisse punitum.

II°. Non potuisse obtinere a Deo remissionem illius poenae illum, qui tam multa magna a Deo precibus suis antea obtinuerat. Imo vetuit ei Deus ne id peteret. »Non exaudivit me, »sed dixit mihi: nequaquam ultra loquaris de »hac re ad me«[2]. Et ut omnem spem ei praecideret, iuravit ut non transiret Iordanem, nec »ingrederetur terram optimam«[3].

III°. Praeter poenam, iratum fuisse illi Dominum: »Iratus mihi Dominus propter vos quod »ter repetit«[4].

IV°. Praedicens quis esset ingressurus et distributurus terram promissam, quasi in despectum eius, dixit: Non tu ingredieris illuc, sed »Iosue filius Nun, minister tuus, ipse intrabit pro »te, et ipse sorte terram dividet Israeli«[5].

V°. Non statim moritur ubi a Deo intelloxit se eam ob causam exclusum iri ab ingressu in terram illam et ob id moriturum, ut memoria poenae imminentis cruciaretur intus.

VI°. Ad maiorem sensum doloris et poenae augendam acerbitatem, Deus illi ante mortem

[1]) T. 1. et 34. n. 269. [2]) Deut. 3, 26. [3]) Ib. 4, 21. [4]) Ib. 1, 37; 3, 26; 4, 21. [5]) Ib. 1, 38.

ostendit omnem illam terram a cuius ingressu illum excluserat ob illud peccatum. »Haec est »terra, pro qua iuravi Abraham, Isaac, et Iacob, »dicens: semini tuo dabo eam, vidisti eam ocu»lis tuis, et non transibis ad illam« [1]).

VII°. Occiditur a Deo, ut superius ostensum est, per verbum et iussum Domini.

Si ergo in viridi ligno, uti dixit Christus Dominus, haec facta sunt, in nobis qui sumus lignum aridum, quid fiet? Fugiamus ergo peccata venialia.

CAPUT VIII.

Ad vitanda peccata venialia deliberate commissa hoc etiam motivum esse debet, quia sunt causa gravissimarum calamitatum, quibus integra regna per multos annos destruuntur per hostes, per milites, per pestilentiam, per incendia, per famem, et his similia. Id primo apparuit in Davide, etsi esset vir secundum cor Dei.

Quod unum solum peccatum veniale, plena deliberatione commissum, mereatur has omnes calamitates, et iis immissis soleat a Deo puniri, evidenter constat ex duobus admirandis exemplis nobis in S. Scriptura relictis, ostensis in duobus sanctis eximiis, Deo carissimis, cuius tunc

[1]) Deut. 34, 4.

peccatum unum solum veniale, magis punivit Deus, quam his temporibus Germaniam et imperium puniat, per hos omnes hostes simul sumptos, a quibus afflictum est imperium et Austria aliaeque vicinae provinciae per tot annos. Evidenter id demonstrabo.

Primum exemplum est in Davide Rege, qui cum iussisset numerari in populo sibi subiecto, quot ex illo essent apti ad bellum: hoc solo facto usque adeo Deum offendit, ut pestilentia repente ob id immissa sustulerit Deus e vivis septuaginta milia virorum [1]).

Ut autem cognoscamus, quantas calamitates, praesentibus nostris maiores, solum peccatum veniale adferat, duo ponderemus. I°. hoc peccatum Davidis non fuisse peccatum mortale sed veniale. II°. Quantopere Deus illo fuerit offensus.

Quoad I-um. Hanc populi numerationem a Davide imperatam non fuisse peccatum mortale, certissimum esse nobis debet propter quatuor causas:

Prima est, quia id evidenter colligitur ex S. Scriptura: in qua solis duobus peccatis mortalibus dicitur David violasse praecepta Dei, scilicet duplici iniuria illata Uriae, per adulterium cum eius uxore Bersabea, et per homicidium procuratum Uriae [2]) ob quae sola duo peccata.

[1]) 2. Reg. 24. 15 et seq. [2]) Ib. 11, 4. 15. 16. 17.

etiam per Nathan prophetam a Deo missum [1]), reprehensus est. Praeter haec autem peccata, post mortem laudatus a Spiritu S. dicitur in nulla alia re violasse Divina praecepta, sed servasse omnia. Sic enim dictante Spiritu S. scriptum est [2]). Propter David, dedit ei (scilicet »Abiae impio) Dominus Deus suus lucernam in »Ierusalem, ut suscitaret filium eius post eum, et »statueret Ierusalem, eo quod fecisset David »rectum in oculis Domini, et non declinasset ab »omnibus quae praeceperat ei cunctis diebus vi»tae suae, excepto sermone (id est iuxta phrasin S. Scripturae, facto, circa Uriam »Uriae Hethaei: hoc est, ut ait S. Basilius [3]) excepta concupiscentia uxoris Uviae et eius interfectione. Excipiendo ergo haec sola peccata contra Uriam per adulterium et homicidium commissa, in reliquis David nullo peccato mortali Deum offendit, ergo nec in hac numeratione populi. Ergo haec numeratio populi erat tantum peccatum veniale: praesertim si verum est quod dicit S. Thomas et aliqui alii theologi graves, (etsi alii contradicent) peccata venialia non esse contra praecepta Dei, sed praeter praecepta [4]).

Et haec est causa, quod in aliis Scripturae locis ita David laudatur a Deo, quod servarit

[1]) 2. Reg. 12, 1 et seq. [2]) 3. Reg. 14, 4 et seq. [3]) Conc. de poenit. [4]) I-a II-ae, q. 88. a. 1. ad 1, 2; I-a II-ae q. 105. a. 1. ad 1.; S. Bona v. In l. 2. sent. d. 42.

omnia Dei mandata[1]. »Nec erat cor eius (scilicet Salomonis) perfectum cum Domino Deo »suo, sicut cor David patris eius. Et[2]: Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino, »et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater eius«. Et referens causam Deus ob quam Jeroboamo dabat decem tribus auferens eas a Salomone[3]; dicit eo quod Salomon, »non ambulaverit in viis meis, ut faceret »iustitiam coram me et praecepta mea et iudicia sicut David pater eius. Et[4]) non auferam omne regnum de manu eius, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitae suae, propter David »servum meum quem elegi, qui custodivit mandata mea et praecepta mea«. Et eidem dixit[5]): »Si custodieris mandata mea et praecepta mea, »sicut fecit David servus meus, ero tecum etc.« Et Deus per Ahiam Prophetam iussit dici uxori Ieroboam[6]: »Vade et dic Ieroboam: Haec dicit »Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de me»dio populi et dedi te ducem super populum »meum Israel, et scidi regnum domus David, et »dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus »est me in toto corde suo, faciens quod placi»tum esset in conspectu meo«.

Quod sane non dixisset Deus scelesto Iero-

[1]) 3. Reg. 11, 4. [2]) Ib. ver. 6. [3]) Ib. 33. [4]) Ib. 34. [5]) Ib. 38. [6]) Ib. 14, 7. 8.

boam, de quo Dei nomine dixit eius uxori [1]: »Operatus es mala super omnes qui fuerunt ante »te«. Obiicere enim potuisset peccata David si habuisset mortalia praeter duo illa, et secundum quidem homicidii occultum aliis, et primum non omnibus notum.

Similiter narrans Spiritus S. scelera regis Abiam, filii Roboam, ait [2]: »Ambulavitque in »omnibus peccatis patris sui, quae fecerat ante »eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino »Deo suo, sicut cor David patris eius«. Et laudans regem Asa filium Abiam dixit Scriptura [3]: »Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, »sicut David pater eius«. Similia legimus in laudem David passim [4]; praesertim [5]: »Iosias fecit »quod placitum erat coram Domino, et ambula»vit per omnes vias Devid patris sui, non decli»navit ad dexteram sive ad sinistram«.

Similis laus tribuitur Asae [6] et Iosaphato [7] Ezechiae [8]. Quamvis enim David duobus illis peccatis eum gravissime offenderit, tamen quia, ut dicunt iurisperiti »parum pro nihilo reputa»tur«, duo sola peccata, respectu tot aliorum bonorum operum a Davide praestitorum in occasionibus difficillimis, quasi obfuscata sunt et obruta a misericordia Dei, et deleta ex eius me-

[1]) Ibid. ver. 9. [2]) Ib. 14, 3. [3]) Ib. 11. [4]) 4. Reg. 14, 3; 16, 2; 17, 3. [5]) Ib. 22, 2. [6]) 3. Reg. 15, 11. [7]) 2. Paral. 17, 3, 4. [8]) 4. Reg. 18, 3; 2. Paral. 29, 2.

moria, eo modo quo promisit vere poenitentibus non recordari amplius peccatorum eorum [1]). »Si »impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, »vita vivet et non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor«.

Secunda causa, ob quam haec numeratio peccatum mortale non fuit, est, quia videtur fuisse necessaria Davidi; perpetuo enim bella gerebat cum variis hostibus, uti patet ex Scriptura. Et quod mirabilius est, postquam Deus ipse promisit Davidi [2]), »Requiem dabo tibi ab »omnibus inimicis tuis (quae promissio contigit ante hanc numerationem populi), statim capite sequenti recensentur bella quae gessit cum Philistaeis, cum Moabitis, cum rege Soba, habente in exercitu suo viginti milia peditum, cum militibus missis ex Syria Damasci, quorum viginti duo milia cecidit. Et pugnasse scribitur [3]) cum Ammonitis, qui in suo exercitu contra David habebant viginti millia peditum et tredecim millia virorum. Et iterum pugnavit cum Syris [4]) ex quibus occidit septingentos currus et quadraginta milia equitum, et fugavit quingenta octo milia ex residuo exercitu.

[1]) Ezech. 18, 21, 22. [2]) 2. Reg. 7, 11. [3]) Ib. 10, 6. [4]) Ibid. ver. 17, 18.

Quocirca et Vilaspandus[1], et Pineda[2] docent vigesies ex inimicis Davidem reportasse victorias, pugnavit enim cum Philistaeis, Idumaeis, Syris, Damascenis, Ammonitis, Amalecitis, et aliis gentibus conterminis, et iugulavit infinita barbarorum millia, senos reges devicit, Ammonitarum, Syriae Rohob, Syriae Soba, Mesopotamiae, Maacha, et Iaob. Si ergo post promissam a Deo requiem ab inimicis, tam valide a numerosissimis exercitibus impugnatum se expertus est David (si humano modo rem examinemus) quis ei vitio vertat, quod voluerit scire, quot habeat aptos ad bellum, ut ea notitia uti posset ad resistendum hostibus suis? Quocirca ad summum otiosus actus fuit, ac proinde tantum venialis, velle scire quot possit habere pro bello milites; siquidem sine nova numeratione id poterat plus minus rescire a Joab praefecto suae militiae, qui ei dissuadebat hanc numerationem [3]).

Tertia causa. Sed cur dissuadebat Ioab hanc numerationem populi? Agnovit procul dubio eam cum peccato esse coniunctam: siquidem dixit Ioab haec verba ad David: »Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt: nonne, Domine mi Rex, »omnes servi tui sunt? quare hoc quaerit Domi-

[1]) Apparatus in Ezechielem t. 2. l. 5. disp. 3. [2]) De Salomone l. 4. c. 1. n. 8. [3]) 2. Reg. 24, 3.

»nus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?« [1]).

Respondeo. peccatum hoc fuisse elationem animi. Qua de re sic S. Augustinus scribit [2]). »Ibi in gregem sibi commissum tanta dilectio pastoralis, ut pro eis ipse vellet mori, quando populo numerato, peccatum elationis eius sic punire placuit Deo, ut eundem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat superbia pertentatum«.

Atque haec superbia et elatio animi non potuit esse in Davide peccatum mortale, tum propter testimonium Spiritus sancti qui sola peccata mortalia in Davide agnovit facta iniuriose contra Uriam; tum quia, ut superbia et elatio animi sit peccatum mortale, deberet esse circa obiectum suum, tanquam circa ultimum finem, ut docet S. Thomas [3]). Hoc autem de Davide nullus prudens cogitare potest. sciens eius pietatem, et videns, obiectum huius superbiae nil continere gravis malitiae, et ex se non esse intrinsece malum. Numeratio enim populi res est indifferens, et si necessaria non sit, est peccatum veniale actus otiosi, et addita superbiola interna orta ex complacentia quadam de multitudine populi, limites peccati venialis non excessit.

[1]) Haec adduntur l. 2. Paral. 21, 3 ubi eadem historia repetitur (Nota auct.). [2]) Contra Faust. l. 22. c. 66. [3]) II-a II-ae q. 162. a. 5; q. 132. a. 3; q. 112. a. 2.

Quarta causa: Similiter Saul non ita acceptus Deo uti erat David (appelatus a Deo, in utroque testamento, vir secundum cor Dei [1]) numeravit populum [2]) et tamen non legitur offensus ei fuisse Deus hanc ob rem, quin potius post hanc numerationem populi, scribitur vicisse hostem [3]).

Et ita bene Fr. Elias a S. Theresia [4]) ait: »David ex communi theologorum calculo, non »nisi venialiter peccavit, exercitum suum ob va»nam quandam praesumptionem lustrando«. Quod ante illum docuit Abulensis [5]).

Quocirca nullo modo mortaliter peccavit David in hac populi numeratione, sed tantum venialiter.

Deinde poterat in excusationem sui mandati adducere exemplum Dei, et se ab illo id didicisse, qui quamvis omnia etiam occulta sciat, tamen iussit per Moysen numerari populum suum, praesertim aptos ad bellum [6]). Cur ergo Davidi, qui nescivit numerum populi, id nocuit?

Dices cum Saliano, contrarium sentiente [7]), Davidem grave crimen voluisse committere, volendo occidere sibi contumeliosum Nabal

[1]) 1. Reg. 13, 14; Act. 13, 22. [2]) 1. Reg. 11, 8. [3]) Ib. ver. 11. [4]) In legatione triumphantis Ecclesiae ad militantem pro liberandis animabus Purgatorii l. 2. cap. 27. n. 8. [5]) Q. 4. et 32. in 1. Reg. 22. [6]) Num. 1. 1. et seq. 3, 15. et seq. 4, 1 et s. [7]) A. M. 2977. n. 32.

cum tota eius familia, idque ipsum Davidem agnovisse; praeterea etiam iuramentum quo se obstrinxerat, seu potius imprecationem ni eam voluntatem exequeretur, fuisse vitiosam, cum in rem malam usurpata fuerit, ideoque praeter Abulensem [1]) et Caietanum [2]) et S. Augustinum[3]) ait: »Iurasse Davidem temere, et non implevisse »iurationem maiore pietate«.

Sed respondendum est, etsi Theodoretus[4]) putet iuste Davidem voluisse interficere Nabal ob indignissima convitia, et contumelias, ut notat Serrarius [5]) forte ideo, quia iam erat unctus in regem prima vice [6]), qua unctione nondum erat factus actu rex, sed postea [7]), veruntamen designatus, concesserim ego voluntatem quidem illam fuisse circa obiectum peccati mortalis, quia non licebat Davidi tunc homini privato, vivente adhuc Saule rege ac regnante, suam iniuriam ulcisci, etiam contra solum Nabal, multo minus contra familiam eius innocentem, siquidem nec iudici licet ob peccatum patris, v. g. punire innocentes filios, ut docent theologi cum S. Thoma: Sed excusandus est a peccato mortali David, ob testimonium sacrae Scripturae supra citatum.

[1]) Q. 7. in 1. Reg. 25. [2]) In illum locum 1. Reg. 25. [3]) In ser. de decollatione S. Ioannis Baptistae, qui citatur 2. 2. q. 4. apud Gratianum, et habetur t. 10. p. 438. edit. Paris. [4]) Q. 57. [5]) 1. Reg. 25. [6]) 1. Reg. 16, 13. [7]) 2. Reg. 2, 4, 11; 5, 3. 4.

Causa autem excusans illum a peccato nulla alia potest assignari, quam vehementia irae, qua fuit commotus contra Nabal, et ex qua etiam suos milites contra illum concitavit et secum duxit, sed postea ab occurrente uxore Nabal placatus est. Passio enim vehemens, causans inadvertentiam rationis, excusat a peccato mortali, uti omnes theologi docent, quae cum possit diu durare, et interim suppeditare rationes apparentes exequendi aliquid, quod in se grave malum sit, fit, ut per earum rationum vivam repraesentationem, non sit tanta advertentia rationis quanta requiritur ad peccandum mortaliter, praesertim in eo homine, qui adeo erat mansuetus, ut dicatur [1]): »Memento Domine David, et omnis »mansuetudinis eius«: qui toties Sauli maiori et potentiori suo hosti antea pepercit, cum posset illum occidere non semel facillime, sine ullo suo incommodo. Ob quam patientiam S. Chrysostomus [2]), »eum sacerdotem appellat Dei, non »ob mactatum vitulum vel agnum in illa spe»lunca, in qua solum Saulem invenerat, et quae »ei erat ecclesia, sed quia his rem honorificen»tiorem Deo obtulerat, mansuetudinem, et macta»verat irrationabilem animi motum, occideratque »iracundiam, factus ipse tum et victima et sa»crificus et altare«; quae ibi pulchre S. Chrysostomus dilatat, aitque eum ex illa spelunca

[1]) Psal. 131, 1. [2]) Hom. 2. de Davide et Saul.

egressum, amictum humanitate, naturam humanam superante, cum tanta gloria cum quanta tres pueri egressi sunt e camino ardenti. Nam »quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic »non conflagravit irae incendio etc. Quis ergo de talis patientiae heroe etiam suspicetur, ob pauculà verba contra se dicta a Nabal peccasse mortaliter, qui etiam vitae suae (quod maius est) insidiantem Saulem tamdiu toleravit cum patientia heroica? Ideo male Salianus condemnat Davidem, quasi deliberatione sufficienti ad peccatum mortale ob moram in hac cogitatione traductam, illud peccatum mortale saltem mente commiserit. Non dicit quidem fuisse mortale, sed tamen grave, sed cum fuerit in materia gravi, et deliberate dicat id ab eo mente agitatum, hinc sequitur eius iudicio, fuisse mortale. Sed si tale esset, falsum esset quod dicit Scriptura solis peccatis iniuriosis Uriae Davidem violasse Dei mandata. Nam esset multo gravius hoc desiderium non unum Uriam occidendi, sed Nabal cum tota sua familia. Unde non valet quod ait Salianus, ideo excipi sola peccata contra Uriam commissa, quod essent eminentiora aliis, tum quia dum prudens homo certa aliqua excipit, post propositionem universalem, omnia comprehendit exceptione digna: quanto magis Spiritus S. qui oblivione non laborat, uti solent etiam prudentes homines, praesertim in Scriptura id asserendo, quae pro tota Ecclesia omnibus saeculis ad in-

structionem nostram eius voluntate erat duratura; tum quia, si mortaliter peccasset David volendo occidere Nabal cum tota sua familia etiam usque ad canem, (ut est in sacro textu, et explicant bene omnes interpretes) longe gravius peccasset quam peccando contra Uriam, siquidem non solus ille peccasset, sed omnes eius milites quos contra Nabal et eius familiam quadringentos secum gladiis accinctos assumpserat, omnes enim illi fuissent complices peccati eiusdem ob consensum datum in illud. Quocirca dum Spiritus S. sola peccata iniuriosa vitae et thoro Uriae commemorat, non ideo id facit quod essent maiora, aliis, sed quod sola illa fuerint mortalia et violativa Dei mandatorum. In caeteris ergo materiis non peccavit mortaliter, sed servavit mandata eo modo et forte melius, quam ille adolescens evangelicus dixit Christo se servasse, ideoque fuit adamatus a Christo [1]) quod signum est id vere eum dixisse, cum tamen procul dubio solitus fuerit peccare venialiter, simili ergo modo et David tantum venialiter peccavit numerationem populi indicendo.

Quoad II-dum, quantopere Deus ostenderit se esse offensum hoc eius peccato veniali, ex his apparet, et quantopere sit vitandum quodvis peccatum veniale deliberatum, uti hoc erat in Davide:

[1]) Marc. 10, 21.

a) quia etsi magis scribatur doluisse ob hoc peccatum, quam ob adulterium et homicidium Uriae, tamen Deus non condonavit illi hoc peccatum tam facile, et tam cito, uti condonavit illud. Nam cum a Nathan Propheta fuisset reprehensus ob peccata contra Uriae uxorem et Uriae personam commissa, quamprimum haec sola verba protulit »Peccavi Domino« [1]), statim ibidem scribitur dixisse Nathan ad David: »Dominus quoque transtulit peccatum tuum« et sola morte filii ex adulterio a Bersabea geniti, illa peccata punienda praedixit. Atpostquam Davidi allatus esset numerus numerati populi, dixit David ad Dominum [2]). Peccavi valde in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi »tui, quia stulte egi nimis«. En, non dixit tot verba coram Nathan dolens de adulterio et homicidio. Praeterea cum deinde Gad propheta Davidi Dei nomine indicavit, eum hac numeratione populi offendisse Deum, plura iterum verae poenitentiae signa ostendit quam prophetae Nathan. Dixit enim David ad Dominum [3]). Ego »sum qui peccavi, ego inique egi isti, qui oves »sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro, manus »tua contra me, et contra domum patris mei«. Nec tamen impetravit statim cessationem plagae et populi internecionem, sed hoc tantum, ut venerit ad eum iterum Gad propheta dicens [4]):

[1]) 2. Reg. 12, 13. [2]) Ib. 10. [3]) Ib. 17. [4]) Ib. 18 et s.

»Ascende, et constitue altare Domino in area »Areuna Iebusaei«. Et postquam David illuc ascendit et emit illam aream (praemissis ab Areuna caeremoniis politicis salutationis, adorationisque, et contractu inito, et variis sermonibus ultro citroque), »et altare aedificavit, et obtulit »holocausta et pacifica, tunc primum propitiatus »est Dominus, et cohibita est plaga ab Israel«.

b) Magnitudo offensae Dei ob hoc peccatum veniale Davidis, potest cognosci ex poena gravissima a Deo illata populo, siquidem pestilentia sustulit Deus ob illud, septuaginta milia virorum [1]) ubi notandum est, poenae huius gravitatem colligi ex quatuor rebus, et ex gravitate poenae, gravitatem cuiusvis venialis peccati:

a) ex ipso numero occisorum secundum se considerato; »mortui enim sunt ex populo sep»tuaginta milia virorum«. Si enim nunc unus tantum sciretur a Deo occisus fulmine ob aliquod peccatum, quilibet fateretur, valde esse exosum Deo illud peccatum, et non leve nec parvi pendendum esse: quanto ergo magis si centum homines, si mille ob aliquod puniret. Cum autem septuaginta milia virorum, quae faciunt ingentem exercitum et magnam civitatem, puniverit, quis non videat, unum veniale peccatum deliberatum, esse rem iudicio Dei gravissimam, etiamsi ab alio committatur?

[1]) 2. Reg. 24, 15. [2]) Ibidem.

3) gravitas poenae agnoscetur ex comparatione eius ad alias poenas divinas minores. Nam percussit Deus de viris Bethsamitibus, de populo septuaginta tantum viros, et quinquaginta milia plebis, eo quod vidissent arcam Domini [1]) hic autem septuaginta milia virorum occidit Quando Deus voluit punire idololatras ob adoratum cultu divino vitulum [2]), Moysis iussu occisa sunt a Levitis quasi viginti tria milia hominum [3]) post culpam condonatam a Deo ad preces Moysis [4]). »Placatusque est Dominus ne »faceret malum«. Maius fuit peccatum idololatriae quam numeratio populi, cur ergo hoc severius punivit Deus?

Respondeo, ut ex poenae magnitudine discamus non parvi facere peccata venialia deliberata, etsi videantur parva. Ideo S. Chrysostomus [5]) ait: »Mirabile et inauditum dicere »audeo: solet mihi nonnunquam non tanto stu»dio magna videri esse peccata vitanda, quanto »parva et vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa »peccati natura efficit; haec autem, (id est, parva) »hoc ipso quia parva sunt, desides reddunt, et »dum contemnuntur, non potest ad expulsionem »eorum animus generose insurgere: unde cito »ex parvis maxima fiunt negligentia nostra«. Non dicit hoc S. Chrysostomus, quod parva fiant

[1]) 1. Reg. 6, 19. [2]) Exod. 32, 6. [3]) Ibid. ver. 28. [4]) Ibid. 14. [5]) In Matth. hom. 87.

magna, sed quod per ea neglecta, non curata, deveniatur ad magna, scilicet ad mortalia, ad quae disponunt, iuxta doctrinam S. Thomae supra relatam, et iuxta sententiam etiam aliorum Patrum. Hinc S. Gregorius[1]): »In unoquoque »lapsu a minimis semper incipitur, et succrescen»tibus defectibus, ad graviora devenitur. Nun»quam quippe illic anima, quo ceciderit, iacet; »quia voluntarie semel lapsa, ad peiora pondere »suae iniquitatis impellitur, ut in profundum cor»ruens, semper adhuc profundius obruatur«. Quocirca ne parvi faceremus lapsum in peccatum veniale, quandoque illud Deus gravius temporaliter in hac vita punivit, quam maiora et mortalia.

γ) Gravitas poenae huius agnoscitur, quia precibus ardentibus David eam a se non potuit abigere, etsi offerret Deo potius in suam familiam, quam in populum eam transferri. Deus tamen quia vidit in eius familia paucos esse, et illam ob alia Davidis merita extingui noluit, maluit plurium morte hoc peccatum castigare.

ε) Magnitudo offensae divinae ob hoc peccatum veniale Davidis hinc etiam apparet, quia si velimus ad litteram accipere quae scripta sunt, non admittendo figuras et explicationes pias, sed ut verba ipsa sonant S. Scripturae: videtur voluisse Deus ostendere per punitionem tam gran-

[1]) Moral. l. 31. c. 15.

dem subditorum Davidis, quantopere ei displiceant peccata venialia, etiam a carissimis amicis suis commissa. »Nam postquam extendisset manum suam angelus Domini super Ierusalem, ut »disperderet eam, misertus Dominus super afflictione, ait angelo percutienti populum: Sufficit: nunc contine manum tuam« [1]). Et post haec dicta a sacro Scriptore, narratur adventus Gad prophetae, dicturi Dei nomine de emenda area Areunae, et postea recensetur iter a Davide factum ad Areunam, deinde contractus longiusculus emptionis areae, et aedificatio altaris, et conquisitio boum immolandorum, et eorum immolatio, et tum demum dicitur placatus esse Deus, et cessasse plaga illa angelica. Proinde, soli textui sacro insistendo, videtur angelus perrexisse sat diu in puniendo populo, postquam a Deo audivit: »Sufficit: nunc contine manum tuam«, quia antequam David ivisset ad Areunam, antequam ultro citroque loquendo cum eo emisset aream et antequam altare aedificasset, et antequam boves immolasset, Deus iusserat cessare angelum a puniendo, qui tamen non nisi post immolationem boum cessavit. Sed ubi est illa commendatio obedientiae angelicae ab ipso David decantata [2]): »Benedicite Dominum omnes angeli eius, »potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius« ? quasi dicat,

[1]) 2. Reg. 24, 16. [2]) Psal. 102, 20.

qui estis adeo obedientes Deo, ut audita minima voce Dei, statim exequimini, quae imperat vobis. Atqui hic non sunt executi statim, sed post tot molimina sermonum cum Areuna, et operum in aedificatione altaris, in solutione areae, in acquisitione boum, in immolatione etc.

Cur hoc? ut ostendat Deus, quantopere odit quodvis peccatum veniale, etiam a suo carissimo servo commissum deliberate, uti erat illud Davidis, qui, etsi praemonitus a Ioab, noluit revocare suum mandatum de populo numerando.

δ) Magnitudo divinae offensae erga David, et gravitas peccati venialis deliberate commissi hinc apparet, quia in David, magno sancto, noluit esse illud impunitum, etsi pro illo valde doluerit.

Quis enim erat David?

Respondeo I°, »vir secundum cor Dei«. Sic appellatus et in Veteri Lege [1]) et in Nova [2]). Multum autem ad hoc requiritur, ut quis sit secundum cor Dei, quod est amplitudinis infinitae, multa exigit, omnia examinat, non decipitur humana hypocrisi et fictione. Causa autem huius appellationis adeo honorificae iudicio S. Chrysostomi [3]) »est haec, quia sanctissimus homo »quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente »concipit, perficit: dum enim cordi Dei cor pro»prium iungit, et menti eius mentem suam ad-

[1]) 1. Reg. 13, 14. [2]) Act. 13, 22. [3]) De Davide et Goliath hom.

»nectit, hoc est, ut quae vult Deus velit, et »quae non vult similiter nolit: sic eum Dominus »individuo amore et coniuncta charitate dilexit«. Hanc causam etiam adfert S. Gregorius[1]). »Per cor Dei, inquit, in sacro Eloquio intima »eius voluntas designatur. Iuxta eam vero sumus, »quando hanc et per intellectum agnoscimus, et »per amorem custodimus«.

At iudicio B. Petri Damiani[2]) ideo sic appellatus est: »quia eius vita et operibus de»lectabatur«. Sanctus vero Hilarius[3]), ideo sic vocatum asserit, »quia non est persecutus »bello inimicos, neque insidiantibus sibi decer»tando armis restitit, sed exemplo Domini, pro»ditus orat, periclitans psallit, patiens odia gra»tulatur, malum pro malo non reddens, sed Do»minicae mansuetudinis aemulator, cum tribula»tur, cum proditur, cum fugatur, Dominum, (cu»ius tantum adversus impios armis utitur) de»precatur: Deus in nomine tuo salvum me fac«. Et S. Dionysius Areopagita[4]): »Quid, »inquit, Davidem fecit divina amicitia dignum? »Nempe cum esset bonus, atque in hostes beni»gnus. Inveni, inquit ille summe bonus, ac be»nignitatis amator, hominem secundum cor me-

[1]) Exposit in 1. Reg. l. 5. n. 21. [2]) L. 9. ep. 3. in ordine 72. [3]) In Psal. 53. sub initium. [4]) Epist. 8. ad Demophilum.

»um«. Et hanc huius appellationis causam adfert etiam S. Bernardus[1]).

Et propter hanc sanctimoniam Davidis a Spiritu S. de eo dicitur[2]) »quasi adeps separatus »a carne, sic David a filiis Israel«: hoc est, ut exponunt interpretes, sicut adeps in sacrificiis pacificorum, quae de bobus, ovibus, agnis, capris offerebantur, totus adolebatur Domino et in ipsius honorem cremabatur[3]), reliqua vero caro victimae pacificae partim cedebat sacerdoti, scilicet pectusculum et armus, partim a populo offerente comedebatur; adeps vero solus cum aliquot pinguioribus intestinis adolebatur Deo instar holocausti, ideoque erat sacratior: ita David sanctitate alios superabat, tanquam totus Dei, totus divinus, uti etiam notat Pineda[4]).

Et de eodem dicitur[5]): »De omni corde suo »laudavit Dominum, et dilexit eum«. Pondera quam sit magna res haec. Ideo Pineda[6]) concludit: »Davidis saeculo nullum fuisse inter Isra»elitas et gentes Davidi parem in sanctitate, »imo in ea Davidem non fuisse minorem Abra»hamo, Isaaco, et Iacobo, quin fuisse sanctio»rem Abrahamo, docet diserte Abulensis[7]), Salmeron[8]) et favet S. Chrysostomus[9]).

---

[1]) In Cant. ser. 34. n. 2. [2]) Eccli. 47, 2. [3]) Levit. 3. tot. [4]) De Salomone l. 1. c. 2. n. 2. [5]) Eccli. 47, 10. [6]) Ut supra n. 8. [7]) Matth. 22. q. 135, 154. [8]) Tom. 3. par. 16. [9]) In Matth. c. 1. hom. 2.

Eundem Iosia et Ezechia caeterisque regibus fuisse sanctiorem docet Barradius [1]) et consentiunt caeteri, et Cornelius [2]) hos citat. Et S. Chrysostomus [3]): »David, inquit, in »regali culmine monachi vitam imitabatur. Et: »In purpura et diademate monachorum vitam »transcendebat [4]). Et: In natura humana vitam »praestitit angelicam [5]). Et: Non contigit illi gu»stare talem hostiam, neque particeps fuerat »sanguinis Dominici, sed legibus imperfectioribus educatus, tamen ad evangelicae philosophiae »fastigium a[illegible]ni moderatione pervenit, qui ex »insidiis Saulis tripla quadruplaque martyrii co»rona redimitus est«. Ideo eius successores comparantur cum eius vita et imperfecti et perfecti. Salomon, de quo dicitur: »Non erat cor eius »perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Da»vid Patris eius« [6]). Et Ieroboam de quo dicit Deus [7]): »Non fuisti sicut servus meus David, »qui custodivit mandata mea, et secutus est me »in toto corde suo«. Et de Abiam dicitur [8]): »Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, »quae fecerat ante eum, (Roboam) nec erat cor »eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor »David patris eius«. Et de Amasia dicitur [9]):

[1]) L. 3. c. 15. [2]) In c. 7. Eccli. ver. 2. [3]) In Psal. 50. [4]) In Genes. h. 30. [5]) De Davide et Saule. [6]) 3. Reg. 11, 4. [7]) Ibid. 14, 8. [8]) Ibid. 15, 3. [9]) 4. Reg. 14, 3.

»Fecit rectum coram Domino, verumtamen non »ut David pater eius«. E contrario de Ezechia dicitur [1]): »Fecit quod erat bonum coram Domino, »iuxta omnia quae fecerat David pater eius«. Et de Iosia [2]). »Fecit quod placitum erat coram »Domino, et ambulavit per omnes vias David »patris sui«.

II°. Agnoscitur Davidis gratia coram Deo in remissione peccatorum duplicis adulterii et homicidii, quod vix dixit ad Nathan, a quo monitus fuerat de peccatis commissis: »Peccavi Do»mino«: statim dixit Nathan ad David: »Domi»nus quoque transtulit peccatum tuum«. Quod ponderans S. Ambrosius [3]): »Nullum, inquit, »attulit lapsus impedimentum, sed velocitatis in»centiva cumulavit, et acrior ad currendum sur»rexit«. Ideo Spiritus S. [4]) ait: »Dominus pur»gavit peccata ipsius, et exaltavit in aeter»num cornu eius, et dedit illi testamentum regni »et sedem gloriae in Israel«, quae duo non obstantibus peccatis eius a Deo purgatis, Deus contulit illi in aeternum, gloriam et imperium, illi et semini eius, pacto inito cum illo de perpetuo regno eius [5]) quod quoad temporale dominium duravit usque ad excidium Hierosolymae per Chaldaeos; postea duravit spiritualiter in Christo eius filio, iuxta promissum Angeli [6]):

[1]) 4. Reg. 18, 3. [2]) Ibid. 22, 2. [3]) Apol. 1. David c. 2. [4]) Eccli. 40, 13. [5]) 2. Reg. 7, 12. [6]) Luc. 1. 32.

»Dabit illi Dominus Deus sedem (id est regnum) »David patris eius, et regnabit in domo Iacob »in aeternum«, scilicet in Ecclesia militante per gratiam, in triumphante per gloriam aeternam.

III⁰. Agnoscitur gratia Davidis coram Deo et sanctitas eius, quod etiam post eius mortem aliis et regnis ipsis, ac familiis successorum eius benefecerit, et quodammodo sibi eum aequarit in modo loquendi, et eius merita coram aliis commendando, ut infra patebit.

1⁰ enim regnum Iuda Deus Davidis posteris, qui eo privari ob sua scelera meruerunt, multis saeculis integrum servavit ob respectum Davidis Sic enim dixit Salomoni [1]) postquam Salomon adamasset mulieres alienigenas multas, contra Dei mandatum, et accepisset uxores quasi reginas 700 et concubinas 300 et sequeretur in senectute deos alienos, eosque coleret, et fana idolis aedificasset: »iratus Dominus »Salomoni quod aversa esset mens eius a Do»mino Deo Israel, apparuit illi dixitque: Quia »habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum »meum et praecepta mea, quae mandavi tibi, »disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud »servo tuo: verumtamen in diebus tuis non fa»ciam, propter David patrem tuum. De manu »filii tui scindam illud, nec totum regnum aufe-

[1]) 3. Reg. 11, 1. et seq.

»ram: sed tribum unam dabo filio tuo, propter »David servum meum«.

2°. Cum esset executurus Deus poenas quas comminatus fuerat Salomoni, suscitavit Ahiam Prophetam qui Ieroboamo Dei nomine dixit [1]): »Haec dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego »scindam regnum de manu Salomonis, et dabo »tibi decem tribus. Porro una tribus ei remane»bit propter servum meum David [2]). Non aufe»ram omne regnum de manu eius, sed ducem »ponam eum cunctis diebus vitae suae propter »David servum meum, quem elegi, qui custodivit »mandata mea et praecepta mea. Auferam ergo »regnum de manu filii eius, (scilicet Roboami filii »et succesoris Salomonis) et dabo tibi decem »tribus, filio aute eius dabo tribum unam«. Cur? »ut remaneat lucerna David servo meo cunctis »diebus coram me« [3]).

3°. »Cum Roboami filius Abiam regnaret »super Iudam, et ambularet in omnibus peccatis »patris sui, nec esset cor eius perfectum cum »Domino Deo suo sicut cor David patris eius«; addit sacer textus: »Sed propter David, dedit ei »Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, ut »suscitaret filium eius post eum, et statueret

[1]) Reg. 12, 21. [2]) Quamquam postea praeter tribum Iuda etiam tribus Beniamin adhaesit Roboamo filio Salomonis (3. Reg. 12, 21) quae fuisse tribus diversas, patet ex Num. 1, 7. 11. (Nota auct.). [3]) 3. Reg. 11, 34—36.

»Ierusalem, eo quod fecisset David rectum in »oculis Domini« [1]).

4°. »Cum Ioram filius Iosaphat regis Iuda »regnaret in Ierusalem et ambularet in viis re»gum Israel, sicut ambulaverat domus Achab, »fecissetque quod malum est in conspectu Do»mini«, dicit sacer textus [2]): »Noluit autem Do»minus disperdere Iudam propter David servum »suum«.

5°. Cum Ezechias consternatus esset timens regem Assyriorum, qui cum ingenti exercitu venerat, Deus per Isaiam Prophetam haec Ezechiae nunciavit inter alia [3]): »Haec dicit Dominus de »rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc »nec mittet in eam sagittam, (pondera singula) »nec occupabit eam clypeus, nes circumdabit »eam munitio. Per viam qua venit, revertetur »etc.: Protegamque urbem hanc, et salvabo eam »propter me et propter David servum meum. »Factumque est, igitur in nocte illa, venit An»gelus Domini, et percussit in castris Assyriorum »centum octoginta quinque millia«. Quae verba iterum repetiit Ezechiae, iterum ad eum missus Isaias, eum aegrotantem sanaturus: »Protegam [4]) »inquit, urbem istam propter me, et propter Da»vid servum meum«. Ita quodam modo Deus

[1]) 3. Reg. 15, 3. 4. 5. [2]) 4. Reg. 8, 16. 18. 19. [3]) 4. Reg. 19, 32–35. [4]) 4. Reg. 20, 6.

sibi exaequavit Davidem promittens ea, propter se, et propter David servum suum.

His positis ponderemus adhuc aliqua, quomodo in tam caro servo suo, et viro secundum cor suum, Deus puniverit peccatum veniale, ob superbiolam et arrogantiam venialem deliberatione plena commissam.

Primo hanc cladem populi non accidisse ob peccata populi, ut putat Procopius et Theodoretus in Commentario, et alii quidam Patres, sed ob solius Davidis peccatum. Quamvis enim Theodoretus[1]) putet populum punitum, quia militaverat contra David sub impio parricida filio eius Absalon, vel Saule, vel ut putat Lyranus, quia Sebae filio Bochri contra Davidem legitimum suum principem adhaeserat[2]) vel propter alia peccata populi, ut putat Abulensis[3]) et alii quidam Patres, tamen certum esse debet, non ob peccata populi, sed ob solius Davidis peccatum, hanc cladem accidisse.

a) Quia SS. Patres id docent. Augustinus[4]) expresse ait, »populo numerato peccatum elatio»nis eius sic punire placuisse Deo, ut eundem »numerum minueret morte multorum, cuius mul»titudine cor regis fuerat superbia pertentatum... et in illo quidem, hominum copia se extulerat, tumorem animi humani, eiusdem copiae diminu-

[1]) Quaest. ult. in 2. Reg. [2]) 2. Reg. 20, 21. [3]) Q. 7. in c. 24. 2. Reg. [4]) L. 22. contra Faust. c. 66.

»tione sanavit«. S. Ambrosius id vanitati Davidis attribuit [1]). Et S. Chrysostomus [2]), expresse ait septuaginta milia peste occisa ob peccatum David, seu ut est in graeco, ἐπὶ τοῦ Δαβίδ. Ob David.

b) Quia alii Sancti posteriores idem asserunt. S. Severus Sulpicius [3]), deinde S. Thomas disputans, an vindicta sit exercenda in eos qui involuntarie peccaverunt, et dicens poena secundum rationem poenae, debere puniri tantum peccantes, poena tamen ut medicina, interdum, puniri innocentes, et sic ait [4]): »Pro pec»cato David populum numerantis, populum Israel »punitum esse« [5]).

c) Quia ipse David postquam numeratus fuit populus, antequam Deus populum punire coepisset, et peccatum ei exprobrasset, agnovit se peccasse; ideo dicitur [6]): »Percussit autem cor Da»vid eum (scilicet scrupulum sensit in conscien»tia et corde suo) postquam numeratus est po»pulus«. Agnovit ergo se peccasse.

d) Id coram ipso Deo fatetur [7]): »Et dixit »David ad Dominum: peccavi valde in hoc facto; »stulte egi nimis«.

e) Post hanc orationem, ut appareat Davidem

[1]) L. de poenit. c. 9. [2]) H. 25. in ep. Rom. in morali. [3]) L. I. Sacrae historiae. [4]) II-a II-ae q. 108. art. 4. ad 1. [5]) 2. Reg. ult. [6]) 2. Reg. 24, 10. [7]) Ibidem ver. 10.

peccasse in numeratione populi, missus a Deo Gad Propheta dat ei optionem eligendi poenam, aut septem annos famis, aut tres menses fugae ab adversariis, aut tribus diebus pestilentiam. Hanc elegit, statimque secuta est.

f) Id quoque in eo agnoverat Ioab princeps militiae eius, non populo sed ipsi Davidi id nociturum, ideoque ei suadebat, ne numerari iuberet populum [1]).

g) Ipse sacer textus clare dicit [2]). »Displicuit »autem Deo, quod iussum erat (scilicet a Da»vide, eadem enim historia etiam ibi fuse recen»setur, quae alibi erat scripta [3]) et percussit »Israel«. Ergo propter iussionem non propter peccata populi percussit populum. Quamvis ergo male fecerit populus ille adhaerendo inimicitiae Saul, et habuerit alia peccata, tamen ex Scriptura non constat, ob id vel ob alia peccata fuisse punitum populum, sed contrarium constat, ut vidimus, scilicet ob solum peccatum Davidis in numerando populo ex eius arrogantia id contigisse.

Deinde si verum esset, ideo punitum (uti putat Iosephus [4]) et Glossa [5]) »quia volens »cognoscere quantus militum numerus recenseri »posset in populo, non solvit semisiclum, oblitus »praeceptorum Moisis, qui praedixerat, quoties »censeretur populus in singula eius capita pen-

[1]) Ibid. ver. 3. [2]) 1. Paral. 21, 7. [3]) 2. Reg. ult. [4]) Antiq. l. 7. c. 13. [5]) In Exod. 30, 11. 12.

»dendum Deo semisiclum, iussit Ioabum Impe»ratorem ire ad censum peragendum«. Lex illa est[1]): »Quando tuleris summam filiorum Israel, iuxta »numerum, dabunt singuli pretium pro animabus »suis Domino, et non erit plaga in eis cum fue»rint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui trans»it ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram »templi« id non constaret, quia verum non est, quod Iosephus asserit.

α) Quia non fuisset necesse ut Ioab dissuaderet David (uti dissuasit) numerationem populi, sed suggessisset semisicli pensitationem. Agnovit ergo elationem, inquit Salianus[2]).

β) Quia ipse David statim ac rescivit numeratum populum, angi coepit in conscientia, quod signum est, numerationem solam esse ab eo tanquam culpabilem agnitam.

γ) Si verum esset quod Iosephus ait, ex oblivione non persoluti sicli id contigisse, peccatum illud mortale non fuisset, sed nec veniale, quia, oblivio legis rarae, excusat a peccato, cum ergo punitum sit aliquod peccatum Davidis, non ex oblivione sed ex certa scientia et deliberatione commissum, est punitum. Itaque propter solius David superbiolam, haec poena a Deo inflicta fuit, uti praeter Salianum supra citatum sensit Abulensis[3]) et Serrarius in Commentario.

---

[1]) Exod. 30, 11. 12. [2]) A. M. 3016. nu. 43. [3]) Q. 17. in 2. Reg. c. 24.

Nec est, quod aliquis dicat cum quibusdam theologis, peccata aliena non puniri temporaliter a Deo, sed propria tantum. Nam certum est, peccata parentum puniri in filiis [1]). »Ego sum »Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans ini»quitatem patrum in filios, in tertiam et quar»tam generationem eorum qui oderunt me. Et [2]): »Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepo»tibus, in tertiam et quartam generationem«, quo loco S. Thomas [3]) dicit, quod utrumque dictum videtur esse de poenis temporalibus, vel corporeis in quantum filii sunt quaedam res parentum, et successores praedecessorum. Et pro peccato Cham, Chanaan filius eius maledictus est a Noe [4]). Sic adulterium punitur vel sterilitate, vel illegitimae prolis interitu [5]), homicidium, interitu filiorum [6]). Rapinam et oppressionem pauperum tota luit raptoris et tyranni posteritas [7]). Giezi etiam peccante, lepra transmissa est ad posteros [8]). Ob Pharaonis adulterium in Saram admissum non tantum Pharaonem flagellavit Deus plagis maximis, sed et domum eius [9]) et quamvis Abimelech non tetigerit Saram [10]) et actu non peccarit cum ea [11]), tamen sterilitate

[1]) Exod. 20, 5. [2]) Exod. 34, 7. [3]) I-a II-ae q. 87. a. 8. ad 1. [4]) Gen. 9, 25. [5]) Gen. 20, 18. Sap. 3, 16; ibid. 4, 2. 3, 4. [6]) 2. Reg. 12, 18. Matth. 23, 35. et 27, 25. Luc. 11, 50. Act. 18, 6. [7]) Iob. 4, 21. et 8, 12. et 12, 15. [8]) 4. Reg. 5, 27. [9]) Gen. 12, 17. [10]) Gen. 20, 4. [11]) Gen. 20, 6.

Deus punivit omnes in domo eius [1]), procul dubio ob voluntatem peccandi cum Sara; filiolus David ob eius peccatum extinctus est [2]): pro peccato filiorum Heli populus corruit in conspectu Philistinorum, et arca capta est [3]), parvuli Sodomitarum, etiam illi qui erant aliquo remedio liberati a peccato originali, et alii innocentes cum parentibus reis perierunt [4]), et parvuli pro peccato Dathan et Abiron, cui non consenserunt una cum eis absorpti sunt [5]). Imo pueruli etiam et bruta animantia pro peccato Amalecitarum iussa sunt necari [6]); similiter Ninivitarum parvuli [7]). Et propter delictum Achan qui furatus fuerat de spoliis Iericho percussit Dominus triginta sex homines ex exercitu misso a Iosue contra urbem Hai [8]). Et hoc certum est. Ideo S. Augustinus [9]): »De anathemate contra interdictum, quia usurpavit unus, in eos qui hoc fecerant, nec factum fuisse noverant vindicta processit«. Et libro eodem [10]) ait: »Quam multa »sunt divinarum testimonia Scripturarum, quae »parentum peccatis obligant filios, numerare »quis possit? Cur enim peccavit Cham et in »eius filio, Chanaan vindicta prolata est [11])? Cur pro peccato Salomonis filius eius diminutione

[1]) Gen. 20, 18. [2]) 2. Reg. 12, 14. 15. [3]) 1. Reg. 4, 11. [4]) Gen. 19, 25. [5]) Num. 16, 32. [6]) 1. Reg. 15, 3. [7]) Ion. 1. [8]) Ios. 7, 1. 5. [9]) Contra Iulian. l. 6. c. 10. [10]) Ibid. c. 25. [11]) Gen. 9, 25.

»regni punitus est[1])? Cur peccatorum Achab »regis Israel in eius posteros poena dilata est«[2])? Idem docuit in epistola ad Avitum. Certum etiam et illud mihi videtur, hoc modo filios et filias eius etsi innocentes, esse cum patre occisos, ut colligitur ex Scriptura, et est communis opinio cum Serrario[3]), et expresse ait S. Basilius[4]). Deus enim supremus Dominus vitae et mortis, etsi non in poenam propriam, sed in poenam patris, qui eorum supplicio maxime cruciabatur, ut bene ait Salianus[5]) et ad bonum totius populi, cui hoc facto maximus timor incutiebatur, privare eos vita potuit, praebens morte eorum medicinam aliis, ne deinceps auderent iussa Dei violare, videntes se, et in se et in sua posteritate perituros. Et confirmatur primo iudicio ipsius David, qui nisi putasset ob solum suum peccatum puniri populum, et nisi existimasset iuste Deum ob unius peccatum etiam alios posse punire, etsi non consentientes ad peccatum, volens Deum avertere a puniendo populo, uti dixit Deo[6]): »Ego sum qui peccavi, ego inique egi, »isti qui oves sunt quid fecerunt: Vertatur ob»secro manus tua contra me et contra domum »patris mei«: non petiisset domui patris sui hoc malum poenae, ni Deus id soleret facere, pu-

[1]) 3. Reg. 12. [2]) 3. Reg. 21, 29. [3]) Qu. 30. in c. 7. Iosue. [4]) L. or. 3. de pecc. col. 2. [5]) A. M. 2584. n. 128. [6]) 2. Reg. 24, 17.

niendo innocentes temporali poena, ob peccatum alterius. Sic etiam ob Sauli flagitium, Sauli posteri crucifixi [1]). Daniel, tres pueri, Ezechiel in captivitatem ducti propter maiorum peccata etsi innoxii, sic et propter elationem Ezechiae eius posteri in Babylonem abducti [2]). Unde [3]) dicitur: »Propter peccata patrum suorum et sua affligentur«. Idque iubet Deus, etiam alias [4]).

Secundo confirmatur idem ratione S. Thomae qui [5]) ait: Detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipsius corporis esse quasdam poenales medicinas ordinatas ad salutem animae: unde nihil prohibet talibus poenis aliquem »puniri pro peccato alterius, vel a Deo vel ab »homine, utpote filios pro patribus, et subditos »pro Dominis, in quantum sunt quaedam res eorum: ita tamen quod si filius vel subditus est particeps culpae, huiusmodi poenalis defectus, »habet rationem poenae, quantum ad eum pro »quo punitur, quantum vero ad eum qui punitur, »rationem medicinae tantum, nisi per antecedens »in quantum peccato alterius consentit; ordinatur enim ei ad bonum animae, si patienter sustineat«. Porro [6]) idem docens, ait, »hanc medicinam poenalem qua puniuntur aliena peccata „in aliis, esse non solum sanativam peccati prae-

[1]) 2. Reg. 21. [2]) 4. Reg. 20, 14. et seq. [3]) Levit. 26, 39. [4]) Deut. 13, 14, 15. [5]) I-a II-ae q. 87. art. et 8. [6]) II-a II-ae q. 108. art. 4.

»teriti, sed etiam praeservativam a peccato fu»turo, et promotivam in aliquod bonum. Et se»cundum hoc aliquo modo interdum puniri sine »culpa, non tamen sine causa. Et quia bona spi»ritualia sunt maxima, ideo quandoque punitur »aliquis in temporalibus bonis absque culpa, cu»iusmodi sunt plures poenae praesentis vitae di»vinitus inflictae ad humiliationem vel probatio»nem«. Et in responsione ad primum: »Unus »homo, inquit, poena spirituali (scilicet peccati, »vel inferni vel purgatorii) nunquam punitur pro »peccato alterius, poena autem temporali quan»doque unus punitur pro peccato alterius«. Triplicem modum assignat talis punitionis, primum, (qui ad nostrum propositum facit) »quia »unus homo temporaliter est res alterius, et ita »in poenam eius etiam ipse punitur, sicut filii »secundum corpus sunt quaedam res patris, et »servi sunt quaedam res dominorum«.

Quando ergo dicitur [1]: »Non occidentur pa»tres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unus»quisque in iniquitate sua morietur. Et [2]: Ani»ma quae peccaverit ipsa morietur, filius non »portabit iniquitatem patris sui«: in his duobus locis sermo est de morte et poena non temporali, sed spirituali, peccati et aeternae damnationis, ut bene ostendit Vasquez [3]. Tali enim

[1]) Deut. 24, 16. [2]) Ezech. 18, 20. [3]) I-a II-ae disp. 135. c. 2. n. 8.

poena etiam infantes ob peccata parentum non puniuntur, sed si baptizati sunt, salvantur, si non, moriuntur in proprio peccato originali, et ob illud privantur beatitudine coelesti. Atqui ob peccata aliorum etiam innocentes a Deo puniuntur filii ob peccata parentum, servi ob peccata dominorum, cives ob peccata magistratus, vel concivium aliorum, uti contigit in diluvio, civitatibus Sodomiticis, in quibus multi simul innocentes parvuli interempti sunt: uti bene docet S. Thomas[1] ex communi sententia[2]) quam etiam docet Tanner[3]), Valentia[4]), Suarez[5]), Prado[6]), Roderic.[7]), Serrarius[8]), citans pro illa re S. Augustinum[9]) et S. Gregorium[10]). Idem docet Hugo Victorinus, et Abulensis[11]) et ex parte Cornelius[12]), licet dicat id esse rarum et extraordinarium, quod concedo. Sed exempla supra allata sat multa, ostendunt id saepe factum. Unde merito S. Basilius[13]) id probat exemplo Achan, »qui una cum suis omnibus (qui ignoraverant eius delictum) subiit exilium. Heli quoque quia non eo modo, quo aequum erat adversum filios indignatus est, usque eo Dei iracun-

[1]) I-a II-ae q. 87. a. 7. et 8. [2]) II-a II-ae q. 108. a. 4. ad 1. [3]) Tomo 2. disp. 4. q. 10. n. 114, 115. [4]) Q. 17. p. 2. [5]) Tom 4. in 3. p. d. 48. s. 2. n. 5. [6]) Tom 1. in Ezech. c. 18. v. 20. [7]) Tom 1. tract. 8. c. 23. [8]) Q. 37. in c. 7. Ios. [9]) Q. in Deut. 42. [10]) L. 15. mor. c. 51. [11]) Tertull. contra Marc. l. 2. c. 15. [12]) In Exod. c. 34. v. 7. [13]) In Reg. brev. regula 47.

»diam irritavit, ut et populus una cum filiis »ipsius internecione absumptus sit, et arca ipsa »capta in hostium potestatem devenerit, et sub »haec omnia, ipse miserabili exitu vitam termi»naverit. Et [1]) per paucos saepe mala aerumnae»que ad universum populum saepe perveniunt, »et unius ob noxam tota quandoque gens ever»titur. Achan sacrilegium admisit, ac totus ca»stigatus est exercitus; Zambri Madianitas scor»tatus est, et Israel poenas dedit«. Similia habet aliis loco [2]). Quando autem Patres aliqui videntur contrarium docere, intelligendi sunt de eo, quod sit ordinarie et ut plurimum, et ita verum est, alios non puniri ordinarie ob aliorum peccata, vel non puniri per modum poenae, sed per modum medicinae praeservativae a futuris malis, quae committerent, si non occiderentur, et ut peccantes aliorum innocentum punitorum oena a peccatis absterreantur, et ea melius agnoscant, sicut factum Davidi, cuius filium, post eius peccatum, in poenam eius peccati mori fecit [3]). »Quoniam blasphemare fecisti inimicos »Domini, propter verbum hoc, filius qui natus »est tibi morte morietur«. Unde miror quosdam, qui dum volunt extollere Dei misericordiam, contrarium docendo tanquam probabilem opinionem, Scripturam et Deum facere mendacem.

[1]) Hom. in divites avaros, p. 115. a. [2]) Or. 3. de peccato. col. 4. et col. 2. [3]) 2. Reg. 12, 14.

Nec obstat sanctitas Davidis quominus graviter Deum hoc peccato veniali offenderit, quia »dignitas personae«, ut docet S. Thomas[1] non diminuit peccatum sed auget«. Et ut ait S. Isidorus Hispalensis[2]: »Crescit »delicti cumulus, iuxta ordinem meritorum, et »saepe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur«. Nimirum si peccent, melius agnoscendo gravitatem peccati, Dei offensi excellentiam, virtutis praestantiam, et sint pluribus a Deo beneficiis affecti, quae omnia erant in Davide in gradu altissimo, usque adeo, ut ei Deus supernaturalia fidei mysteria per altissimi gradus lumen propheticum revelarit, ut docet S. Thomas[3] et Cassiodorus[4] Adrianus Papa[5], Lyranus[6], Lorinus[7]. Ut hinc obiter discamus, exemplo tam cari amici Dei, nostra peccata deliberate a nobis commissa, caeteris paribus, ratione nostri status religiosi, et sacerdotalis, magis a Deo imputanda fore quam saecularibus et clericis aliis, non habentibus tot beneficia, et tantam, uti nos habemus, rerum divinarum cognitionem, et quotidianam considerationem, maxime in nostra Societate, in qua omnia ad hoc debent dirigi, ut evadamus perfecti.

[1]) I-a II-ae q. 89. art. 5. [2]) De summo bono l. 2. c. 18. [3]) II-a II-ae q. 174. art. 2. in con. et a. 4. ad 1. [4]) Praef. in Psalm c. 1. [5]) 1. in scripto ad Carolum Magnum de imaginibus. [6]) Praef. in Psalm. [7]) Tom 1. praefat. in Psalm c. 3.

Qua occasione obiter notanda est praeclara doctrina S. Thomae[1]. »Etenim quaerit, utrum »magnitudo personae peccantis aggravet peccatum«? Et respondet ex S. Isidoro[2] in fine: »Tanto maius cognoscitur peccatum esse, quanto »maior qui peccat habetur«. Id vero declarans in corpore articuli, sic ait: Duplex est peccatum. Quoddam enim ex surreptione proveniens »propter infirmitatem humanae naturae: et tale »peccatum minus imputatur ei, qui est maior in »virtute, eo quod minus negligit huiusmodi pec»cata reprimere, quae tamen omnino subterfu»gere infirmitas humana non sinit. Alia vero »peccata sunt ex deliberatione procedentia, et »ista peccata tanto magis alicui imputantur, »quanto maior est. Et hoc potest esse propter »quatuor: primo quidem, quia facilius possunt »resistere peccato maiores: puta, qui excedunt »in scientia et virtute. Unde Dominus dicit[3]: »Quod servus sciens voluntatem Domini sui, et »non faciens, plagis vapulabit multis«. Hoc ipsum S. Chrysostomus[4] antea docuerat (quod docet S. Thomas loco supra citato). »Qui »maiorem assecutus est doctrinam, inquit S. »Chrysostomus, is legem transgrediens, maiori »supplicio dignus fuerit. Quapropter quo pru»dentiores fuerimus, aut potentiores, eo punimur

[1]) I-a II-ae q. 73. a. 10. [2]) Lib. 2. de summo bono c. 18. [3]) Luc. 12, 47. [4]) Hom. 5. in ep. ad Rom.

»magis cum delinquimus«. Quod etiam docet S. Basilius [1]) et S. Isidorus Pelusiota [2]).

Alteram huius rei causam talem adfert S. Thomas: »Secundo, inquit, propter ingratitudinem quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando; et quantum ad hoc, quaelibet maioritas etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundum illud: Potentes potenter tormenta patientur [3]). Huic similem doctrinam tradidit S. Gregorius Papa [4]) explicans illam parabolam de patrefamilias [5]), qui servis suis tradidit bona, et plus exigebat ab iis, quibus plura ad lucrum quaerendum reliquerat. »Lectio, inquit S. Evangelii, sollicite considerare nos admonet, ne nos qui plus caeteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde iudicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, etc.«.

Tertia S. Thomae causa magis puniendorum maiorum est: »Propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae, sicut si princeps iustitiam violet, qui ponitur

[1]) In Psalm 7. col. 3. et 4. [2]) L. 3. Ep. 15. [3]) Sap. 6, 7. [4]) Hom. 9. in Evangelia n. 1. [5]) Matth. 25. 14. sq.

»iustitiae custos; et, si sacerdos fornicetur, qui »castitatem vovit. Quarto, propter exemplum sive »scandalum: quia ut Gregorius[1]) dicit, in exemplum »culpa vehementer extenditur, quando pro reve»rentia gradus, peccator honoratur; ad plurium »enim notitiam perveniunt peccata magnorum, »et magis homines ea indigne ferunt«. Et ita ibidem S. Thomas[2]) explicans illum Scripturae locum[3]): »Dominus bonus propitiabitur cunctis »qui in toto corde requirunt Dominum Deum »patrum suorum; et non imputabitur eis quod »minus sanctificati sunt, dicit, auctoritatem illam »loqui de his, quae per surreptionem infirmitatis »humanae negligenter aguntur«. Est verissima haec S. Thomae doctrina pro solatio eorum, qui non ex deliberatione plena, sed ex surreptione naturae fragilis peccant. Nam ut refert Ludovicus Blosius[4]): »Cum aliquando S. virgo »Gertrudis recogitaret apud se, quidnam inter »illa quae a Domino didicerat, posset utilius mani»festari hominibus: Dominus sese cogitationibus »eius ingerens respondit: Utilissimum foret ho»mines scire, et in memoria semper habere: »quod ego Virginis filius pro salute eorum asto »ante Deum Patrem; et quandocunque ipsi ex »humana fragilitate delinquunt corde suo, offero

[1]) In Pastorali parc. 1. cap. 2. a med. [2]) In resp. ad 1. [3]) 2. Paral. 30, 18. 19. [4]) Monile spir. c. 1. post init. 1.

»pro eis Deo Patri cor meum immaculatum in »emendationem: quando vero offendunt opere, »exhibeo manus meas perforatas: et ita in qui»buscunque delinquunt, statim innocentia mea placo Patrem, ut illi poenitendo facile semper »obtineant veniam peccatorum«. At non tam facile eam obtinent, quicunque illi sint, si deliberate peccent. Ita enim Christus Dominus docuit S. Birgittam[1]: »In omni, inquit, lege, si »peccat quis ex infirmitate et necessitate impor»tabili, dispensationem accipit. Qui vero nolens et ex nulla deliberatione peccat, iudicatur le»vius. Qui vero ex industria seu assiduitate, nullam recipit excusationem«. Multo autem minus excusabilis est, qui maior est statu, vel virtute, vel beneficiis. Ideo S. Thomas[2] ait, »Deum non »accipere personas si maiores plus punit; quia »ipsorum maioritas facit ad gravitatem peccati »ut dictum est«. Et[3] in quo obiiciebatur, nul»lum debere ex bono incommodum reportare, »reportaret autem, si id quod agit (scilicet »maior vel melior) magis ei imputaretur ad cul»pam: respondet, hominem magnum non repor»tare incommodum ex bono quod habet, sed ex »malo usu illius«. Et haec est causa cur sancti et sua, et aliorum Dei servorum peccata, magis aestimabant et puniebant, et detestabantur, quam

[1]) Revel. extravag. c. 14. [2]) In resp. ad 2. [3]) In resp. ad 3.

aliorum minus perfectorum, et in minore gradu constitutorum. Hinc trita illa sed terribilis sententia S. Bernardi[1]) manavit: »Inter saecu»lares nugae, nugae sunt, in ore sacerdotis blas»phemiae«. Addit causam: »Consecrasti os tuum »Evangelio, talibus iam aperire illicitum, assu»escere sacrilegium«. Magna emphasis est verborum istorum, et quidem ad Papam Eugenium scriptorum: quanto maiore libertate, si hic Sanctus viveret, nobis id diceret, si nos suos haberet auditores? Magis mirum, etiam pias feminas id sensisse. De S. Paula Romana scribit S. Hieronymus[2]), eam dicere solitam: »Quod »inter saeculi homines vel leve putatur vel ni»hil, hoc in monasteriis gravissimum esse delic»tum«. Quando ergo S. Thomas[3]) docet, peccata religiosorum minus esse gravia et facilius condonari, loquitur de peccatis ex ignorantia et infirmitate, seu surreptione commissis, de quibus etiam idem loco paulo ante citato locutus est. Sed cum Davidis peccatum, non ex surreptione fuerit, verum ex plena et pertinaci deliberatione, qua etiam consilium a Ioab datum reiecit, mirum non est, fuisse adeo severe punitum.

Revocemus nunc in memoriam ea, quae supra dixi de laudibus Davidis, quantopere fuerit Deo carus, et conferamus nostrum statum coram

[1]) De consid. l. 2. c. 13. [2]) Ad Eustochium ep. 108. [3]) II-a II-ae q. 186. a. 10.

Deo, cum statu Davidis, inveniemus nos longo intervallo dissitos, et non esse ita Deo caros. Et hinc inferamus:

I° si Deus unum peccatum veniale in tam magno amico, et ut ita dicam, cognato et consanguineo suo destinato (quia Christus Dominus erat filius David secundum carnem) adeo punivit, quid nos expectare debemus ob multa quotidiana peccata venialia, et quidem maiora quam fuerit illa arrogantia et elatio Davidis?

II° inferamus, forte omnes calamitates huius regni imo mundi, etiam ob nostra peccata immitti a Deo. Nam si unum peccatum iudicio Dei merebatur famem septem annorum, et adduxit internecionem septuaginta milium hominum quid: plura peccata uniuscuiusque nostrum mereantur cladem plurium, facta proportione? Nam si hoc unum peccatum sanctissimi viri, adduxit mortem septuaginta milium hominum, ergo duo nostra, digna sunt morte centum et quadraginta milium: ergo quatuor nostra peccata, merebuntur, ut occidantur a Deo vel fame, vel peste vel gladio, vel morte subitanea, vel morbis incurabilibus, ducenta et octoginta milia; ergo quinque nostra peccata merebuntur, ut occidantur trecenta et quinquaginta milia hominum: ergo nostra peccata sex, causabunt mortem hominum quadringentorum et viginti milium: septem peccata, mortem quadringentorum et monaginta milium. Si ergo verum est, quod aliqui putant,

de peccatis dici, »septies in die cadet iustus«[1]), quilibet iustorum ob septem peccata sua venialia dignus erit, ob quae quotidie occidantur quadringenta nonaginta milia hominum. Quod si quis plura in die faciet quam septem peccata, adhuc plurium mortes invehet. Iam si in quavis actione nostra Deus peccatum inveniet saltem unum, (discurre breviter et obiter per actiones totius dici), Deus bone, quot mortalitates invehet vel alias calamitates quilibet iustus? Cum ergo tam multi sint iusti in Ecclesia Dei per totum orbem terrarum, illi soli multarum calamitatum sunt causa. Iam si innumerabilis infinitas, ut ita dicam, accedat ethnicorum, et aliorum infidelium et catholicorum peccata mortalia committentium, Deus bone, quam innumerabilium mundi calamitatum sunt causa? Non miremur ergo, cur tota fere Europa tot bellis et internecionibus conquassetur a tot annis. Ideo mirum non est, Sanctos Dei qui habebant lucidiores oculos, omnes calamitates mundi, suis attribuisse peccatis. Ita de se sentiebat S. Catharina Senensis, et S. Dominicus[2]) personae innocentissimae. Hic cum intraret de novo aliquod oppidum, vel civitatem, vel pagum, dicebat intra se, »intrare flagellum Dei«, iudicans, ob sua peccata, calamitates illius oppidi vel civitatis vel pagi a suis proventuras et provenire

[1]) Prov. 24, 16. [2]) Ferdin. Castil. in vita.

peccatis. Sed audiamus quomodo de se scriptum reliquerit S. Catharina Senensis[1]).

»Mane, inquit, Missam audiens cum ingenti »desiderio et agnitione suae fragilitatis ac im»perfectionis, erubescendo multum, quia sibi vi»debatur esse causa principalis omnium malo»rum, quae fiebant in mundo, unde concipiebat »in se quoddam odium cum displicentia magna »sui, et quadam iustitia sancta, ex quibus puri»ficabat omnes maculas, quae sibi videbantur et »erant in anima sua, ait: Clementissime Pater aeterne, coram te facio querimoniam de me, ut in isto finito tempore punias omnia peccata »mea. Et quia poenarum quas proximus meus »tolerare debet, ego propter delicta mea sum »causa potissima, ideo Maiestatem tuam exoro »suppliciter, ut super me infligas eas«. Similia de se dixit allis locis[2]). »O anima mea misella, »totam vitam tuam cum tempore tibi gratiose »concesso multum inutiliter expendisti, imo po»tius perdidisti. Et ideo tot et tanta damna et »innumerabilia mala non solum in Ecclesia »sancta, verum etiam per universum orbem oc»currerunt communiter, ac etiam in particulari«. Idem repetit[3]), et in oratione quadam[4]) bis id coram Deo dixit de se.

Hinc ergo agnoscamus, quanta sit malitia

[1]) Dial. c. 2. [2]) Ibid. c. 13. et 19. [3]) Ibid. c. 134. [4]) Or. 31.

peccati venialis deliberati, et quantopere illud sit nobis fugiendum, qui nec Davidi nec S. Dominico nec S. Catharinae pares sumus, et cum quanto maiore causa, nostris peccatis debeamus adscribere omnes calamitates huius vitae, et huius temporis, in quo tot bellis mundus, et per bella damnatione tot hominum infernus impletur. Adeo, ut merito dixerit Tusculi in quadam concione me audiente noster P. Stephanus Tuccius vir sanctissimus, homines ob venialia peccata damnari. quia illa sunt, quae homines adducunt ad peccata mortalia, et ad finalem impoenitentiam. Verum enim est, quod scripsit S. Basilius[1]): »Ut ad virtutem progressio a re»bus minimis augmentum sumit, ita etiam pra»vitatis scaturigo ab iis. quae initio imbecilla »atque exilia erant, ad rem quae sanari ac re»stitui amplius non potest, fertur«. Sunt enim ut supra dixi ex Origene, peccata venialia tanquam vulnera. Vulnera autem multa, praesertim si quavis die infligantur, mortem adferunt.

Idem sentiens S. Chrysostomus[2]), sic eorum progressum pessimum describit: »Quem»admodum in corporibus, vulnera neglecta »febres gignunt et putrefactiones ac mor»tem denique: itidem et in animis, qui pusilla »spernunt, maiora inducunt«, hoc est, ut addit

[1]) Or. 7. ex collecta. [2]) In Gal. c. 1. et serm. de anima.

eadem usus similitudine S. Ioannes Damascenus[1]): »Mortem sibi per neglecta vulnera »accersunt: ad eundem modum, qui minima vi»tia et peccata nihili pendunt, graviora sibi in»vehunt«. Quod quidem magis mirum et deplorandum est, quod nemo nisi desperans et amens se voluntarie vulnerat, cum tamen multi deliberate venialiter peccent.

Ne ergo et nos ad lethalia delabamur peccata, fugiamus venialia deliberata toto conatu. Nam ut dicit S. Dorotheus[2]): »Si (ut prae»clare aiebant antiqui Patres), quae exigua sunt »et nullius momenti« (iudicio mundi) »non con»tempserimus, ad ea quae maiora sunt et gra»viora peccata prolabi non poterimus«.

CAPUT IX.

Gravitatem peccati venialis Deus ostendit in punito gravissime ob illud Ezechia rege sancto, et toto regno illius.

Promiseram me aliquot exemplis e S. Scriptura petitis ostensurum, quantopere unum solum peccatum veniale etiam a sancto viro commissum offendat Deum, et sit causa gravissimarum calamitatum. Id ostendi iam in peccato Davidis, nunc ostendam in alio simili, commisso ab Eze-

[1]) Vitae SS. Iosaphat et Barlaam c. 19. [2]) Ser. 6.

chia rege, de quo sic scribitur [1]): »In tempore »illo, misit Beroach Baladan, filius Baladan, rex »Babyloniorum litteras et munera ad Ezechiam; »audierat enim quod aegrotasset Ezechias. Lae»tatus est autem in adventu eorum Ezechias, et »ostendit eis domum aromatum, et aurum, et »argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque »et domum vasorum suorum, et omnia quae ha»bere poterat in thesauris suis. Non fuit quod »non monstraret eis Ezechias in domo sua, et in »omni potestate sua«. Quae autem monstraverit eis, sic describitur [2]): »Fuit Ezechias dives et »inclitus valde, et thesauros sibi plurimos con»gregavit argenti et auri et lapidis pretiosi, aro»matum et armorum universi generis, et vaso»rum magni pretii; apothecas quoque frumenti, »vini et olei, et praesepia omnium iumentorum, »caulasque pecorum, et urbes aedificavit sibi: »habebat quippe greges ovium et armentorum »innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus »substantiam multam nimis«. Quid autem effecerit haec ostensio thesaurorum Ezechiae, indicat sacer textus [3]): »Venit autem Isaias propheta ad »regem Ezechiam dixitque ei: Quid dixerunt »viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait »Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me »de Babylone. At ille respondit: Quid viderunt

[1]) 4. Reg. 20, 12. 13. et 2. Par. 32, 27. sq. [2]) Ibid 2. Par. [3]) 4. Reg. 20, 14.

»in domo tua? Ait Ezechias: omnia quaecunque »sunt in domo mea, viderunt, nihil est, quod »non monstraverim eis in thesauris meis. Dixit »itaque Isaias Ezechiae: Audi sermonem Domi»ni. Ecce dies venient, et auferentur omnia, »quae sunt in domo tua, et quae condiderunt »patres tui usque in diem hanc in Babylonem: »non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed et »de filiis tuis qui egredientur ex te, quos gene»rabis, tollentur et erunt eunuchi in palatio re»gis Babylonis«. Postea executio huius poenae praedictae sic describitur[1]: »Et protulit Rex »Babylonis ex Ierusalem omnes thesauros domus »Domini, et thesauros domus regiae, et concidit »universa vasa aurea, quae fecerat Salomon rex »Israel in templo Domini iuxta verbum Domini. »Et transtulit omnem Ierusalem, et universos »principes, et omnes fortes exercitus, decem mi»lia in captivitatem, et omnem artificem et clu»sorem, nihilque relictum est, exceptis pauperi»bus populi terrae; transtulit quoque Ioachin »(regem) in Babylonem, et matrem regis, et uxo»res regis, et eunuchos eius; et iudices terrae »duxit in captivitatem de Ierusalem in Babylo»nem. Et omnes viros robustos septem milia, et »artifices et clusores mille, omnes viros fortes »et bellatores duxitque eos rex Babylonis capti»vos in Babylonem«.

[1]) 4. Reg. 24, 13. sq.

Circa hoc factum examinemus tria. I° peccatum Ezechiae quale fuerit. II° conditionem personae Ezechiae. III° poenam a Deo inflictam ob hoc Ezechiae peccatum.

Quoad primum certum esse debet, peccatum hoc eius non fuisse mortale, sed ut bene ait Salianus [1]): »unum ex »minoribus bonorum peccatis«; et [2]): »Vanitas »haec regis ex genere suo non magna culpa »est«. Fuisse autem vanitatem patet ex divino testimonio: quia [3]) sic describitur hoc eius peccatum: »Non iuxta beneficia quae acceperat, re»tribuit, quia elevatum est cor eius, et facta est »contra eum ira et contra Iudam et Ierusalem, »humiliatusque est populus, eo quod exaltatum »fuisset cor eius«. Ex quibus verbis colligitur, propter solam elationem animi quam habuit in ostensione thesaurorum suorum, a Deo, populum eius post eius mortem fuisse punitum: non punitum autem eo vivente ob ipsius respectum, dicit sacer textus [4]): »Humiliatusque est postea« (scilicet coram Deo, agnoscens suum peccatum et deprecans culpam) »eo quod exaltatum fuis»set cor eius: etc. et idcirco non venit super »eos ira Domini, in diebus Ezechiae«.

Quocirca etsi alia quoque peccata commiserit Ezechias, non ob illa, sed ob solam elationem

[1]) A. M. 3324. num. 32. [2]) num. 33. [3]) 2. Paral 32, 25. [4]) Ibid. ver. 26.

punitus fuit. Hanc autem non fuisse in eo peccatum mortale, hinc apparet:

I⁰ quia obiectum non erat intrinsece et graviter malum.

II⁰ quia nil inusitatum fecit: omnes enim reges et principes boni et Deo cari, dum volunt honorare legatos, solent humanitatis causa (humanitas autem virtus est) ostendere eis aedificia et thesauros.

III⁰ erat etiam necessitas id faciendi, ut visis eius thesauris advenae agnoscerent eius potentiam, et apparatum pro bello gerendo, imo nervum belli pecuniam, eaque visa, non auderent contra eum arma sumere, uti alii sumserant. In thesauro enim illo, erat thesaurus Davidis et Salomonis (uti indicat superius Isaias[1]): »Quae »considerunt patres tui, usque in diem hanc« quorum solorum thesaurorum magnitudinem fuisse pene incredibilem infra videbimus, non computando thesauros, quos eius in regno antecessores duodecim, successores Davidis et Salomonis congregaverant per annos 255; tot enim intercesserunt a morte Salomonis ad initium regni Ezechiae.

IV⁰ circa hoc factum Ezechiae ponderandum est, esto peccarit ostendendo illos thesauros, nam procul dubio peccavit, (siquidem ob hanc ostensionem punitus est iactura horum thesaurorum,

[1]) Vers. 17.

et aliarum rerum, uti supra ex sacro textu agnovimus), tamen semel tantum in hoc peccavit, et peccatum eius in hac re fuit minus, quam sit detractio, et non tantopere grave in illo, uti esset mendacium: quod apud me est certissimum quatuor ob causas:

Prima est, quia magis Ezechias laudatur quam David, et usque adeo, ut non potuerit fere magis laudari a Deo [1]: »Fecit quod erat bonum »coram Domino iuxta omnia quae fecerat David »pater eius etc. In Domino Deo Israel speravit: »itaque post eum non fuit similis ei de cunctis »regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum »fuerunt: et adhaesit Domino et non recessit »a vestigiis eius, fecitque mandata eius quae »praeceperat Deus Moysi. Unde et erat Domi»nus cum eo, et in cunctis ad quae procedebat »sapienter se agebat«. Ubi hoc notandum est hanc laudem ei esse a Spiritu S. attributam pro tota vita eius anteacta, nam eam ponit post narratos omnes eius vitae regni annos, et gesta.

Ex quo loco duo argumenta colligo ad ostendendum eum nunquam peccasse mortaliter: I-um est, in illis verbis [2]: »Non fuit illi similis in his »regibus, qui ante ipsum fuerunt«. Ideo aliqua re etiam Davidem superavit, scilicet, quia non contaminavit se ullo peccato mortali, uti David, qui tamen aliis in rebus similis erat Ezechiae.

[1]) 4. Reg. 18, 3. sq. [2]) Ibid. ver. 5.

II-um est, in his verbis [1]): »Non recessit a ve»stigiis eius« (scilicet Dei) »fecitque mandata »eius quae praeceperat Dominus Moysi«: quibus verbis similiter supra [2]) Deus commendaverat Davidem propter servata in omnibus Dei mandata, quae quoniam violaverat duobus generibus peccatorum, ideo ibi addidit Spiritus S. »Ex»cepto sermone Uriae«: quae verba cum hic laudibus Ezechiae non apposuerit, evidens signum est, eum nullo peccato mortali Dei praecepta violasse. Peccatis enim venialibus sicut Dei charitas non excluditur, ita nec praecepta Dei essentialiter violantur, sed quasi accidentaliter, quia perfectus modus ea exequendi violatur. Et hanc ob causam duo dicit S. Thomas de peccatis venialibus, inter alia, quae ad meum propositum spectant:

a) quod peccata venialia sunt impedimenta perfectionis;

b) quia non sunt »contra praecepta sed prae»ter praecepta«, ita docet S. Bonaventura [3]), Alexan. [4]), Caietanus et S. Thomas [5]) et causam hanc loco prius citato adfert, »quia »peccatum veniale dicitur peccatum secundum »rationem imperfectam: et in ordine ad pecca»tum mortale, sicut accidens dicitur ens in or-

[1]) Ibid. ver 6. [2]) 3. Reg. 15, 55. [3]) 2. dial. 42. a. 1. q. 1. [4]) 2. p. q. 106. m. 1. [5]) I-a II-ae q. 88. a. 1. ad 1. et II-a II-ae q. 105. a. 1. ad 1.

»dine ad substantiam, secundum imperfectam »rationem entis: non enim est contra legem. »Quia venialiter peccans non facit quod lex »prohibet, nec praetermittit id, ad quod lex per »praeceptum obligat, sed facit praeter legem, »quia non observat modum rationis, quem lex »intendit«. Et probatur a nostro Becano loco infra citando:

a) »Si vis ad vitam ingredi serva mandata«[1]: qui autem peccat venialiter ingreditur ad vitam, ergo servat mandata: ergo non facit contra mandatum.

b) »Qui diligit me sermonem meum serva»bit«[2]): atqui tantum venialiter peccant iusti, Deum diligunt, ergo sermonem Christi servant, ergo servant praecepta Dei, ergo contra ea non peccant, venialiter peccando.

c) Si iustus »diligit proximum«, et tantum venialiter peccet, »legem implevit«[3]): ergo non peccat contra legem.

d) »Finis legis est charitas«[4]). At nullum peccatum veniale est contra caritatem, quia ut ait S. Thomas[5]) peccatum veniale non excludit caritatem nec minuit.

Quaeres quid hoc est, caritatem finem legis esse?

---

[1]) Matth. 19, 17. [2]) Ioan. 14, 23. [3]) Rom. 13, 8. [4]) 1. Tim. 1, 5. [5]) I-a II-ae q. 88. a. 1. ad. 2.

Respondet Becanus[1]): Nil aliud est, quam quod omnia praecepta legis eo spectent, ut diligamus Deum ex toto corde et proximum nostrum sicut nos ipsos, ut Christus explicat[2]) et Apostolus[3]). Hoc autem potest fieri, etiamsi peccemus venialiter. Quae tamen doctrina S. Thomae reicitur a Durando[4]), Vega[5]), et ab aliis authoribus, quos sequitur et citat Sanchez[6]), et Vasquez[7]). Sed Bellarminus[8]), solvens obiectionem haereticorum petitam ex locis: »In multis offendimus omnes[9]); »Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsi seducimus« [10]) — quibus illi probant a nobis legem Dei impleri non posse, quia qui legem impleret, nullum omnino peccatum haberet: respondet sic: »Ab hoc argumento, »quod valde Kemvitius urget, non tam facile se »expediunt, qui concedunt peccatum veniale esse »proprie contra legem, ut Vega[11]); coguntur »enim dicere, legem non esse impossibilem, non »quod tota simul servari possit, sed quod servari »possit maior eius pars, et a meliori parte fiat »denominatio. Sed videndum est illis quid res»pondeant Apostolo Iacobo dicenti: Quicunque

---

[1]) L. 2. tr. 2. c. 2. q. 7. [2]) Matth. 22, 40. [3]) Rom. 13, 8. [4]) 2. d. 34. q. 6. [5]) Conc. Trid. lib. 14. cap. 13. [6]) Tom 1. sum. l. 1. c. 1. n. 2. et 3. [7]) Disp. 143. c. 3. [8]) De iustif. l. 4. c. 14. §. 4. obiectio. [9]) Iacob. 3, 2. [10]) 1. Ioan. 1, 8. [11]) L. 2. in conc. c. 20.

»totam legem servaverit, offendat autem in uno, »factus est omnium reus. Solida ergo responsio »est, peccata venialia non esse contra legem sed »praeter legem, ut S. Thomas recte docet[1]); »hinc enim omnia cohaerent. Nam qui offendit »in uno, praevaricans videlicet unum praece»ptum, factus est omnium reus, et iniustus sim»pliciter constituitur, et tamen in multis offendi»mus omnes, quia tametsi nihil facimus contra »legem, tamen multa facimus praeter legem. Et »qui natus est ex Deo, non peccat. transgre»diendo legem, et tamen si dixerimus quia pec»catum non habemus, nihil videlicet praeter le»gem faciendo, nos ipsos seducimus, et veritas »in nobis non est« [2]). Quod totum, probat bene peccatum veniale non esse contra legem, quia aliqui dicuntur servasse omnia mandata, et tamen peccabant venialiter, ergo iis mandata non violantur.

Secunda causa, ostendens, eum non peccasse mortaliter in hac thesaurorum ostensione, est: quia opera quae fecit pro cultu Dei ab ipso Deo laudata, hoc ipsum indicant. Nam eodem loco Spiritus Sanctus haec de eo dicit[3]): »Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et »succendit lucos, confregitque serpentem aene»um, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad

[1]) I-a II-ae q. 88. a. 1. [2]) Cf. etiam de amiss. gr. l. 1. c. 2. [3]) 4. Reg. 18, 4.

»illlud tempus filii Israel adolebant ei incensum«. Qua in re ponderanda sunt haec:

I° Quia praeter alia supra commemorata, confregit serpentem aeneum. Quod facinus, inquit Salianus[1]) »videri poterat periculosum negotium. Ignarum enim ac rudem populum existimaturum Ezechiam tam Domino ipsi, quam diis gentium bellum indixisse, qui rem Dei ipsius iussu a SS. legislatore fabricatam, et tot annis[2]). a sanctissimis viris, pontificibus, regibus, populique principibus conservatam, ut divinae erga populum suum misericordiae, ac benevolentiae argumentum, ipse temere ac irreligiose confregisset. Quae non potuit sine magno animi robore suscipere, nec sine magna in Deum fiducia, eiusque singulari auxilio conficere, in quibus maximam regni partem sibi habuit tanquam pro aris et focis obsistentem, neque timuit ne subditi ad Assyriorum regem deficerent, eumque regno privarent, sed« (ut ait Scriptura) »in Domino Deo suo speravit«.

II° Quia id fecit primo anno sui regni, quando erat ei necessarius favor omnium. Ita respectus humanos vicit.

III° Sui patris moribus contraria fecit.

Tertia causa, quia (teste Spiritu Sancto)

[1]) A. M. 3309. n. 31. [2]) Scilicet 726. tot sunt enim ab anno 2583, quando serpens fabricatus est, ad 3309, quando contractus est. (Nota auct.).

Ezechias tunc cum maxime poterat condemnari peccati mortalis, nullum commisit mortale peccatum. Tempus autem hoc fuit tunc primo dum praemissa consultatione cum principibus et universo caetu Israel, auctor fuit, ut celebrarent pascha mense secundo, (quod S. Hieronymus [1]) refert inter traditiones hebraicas) cum ex praescripto Dei, non nisi mense primo celebrari debuerit [2]). Quamvis enim Deus permiserit [3]) ut posset aliquando celebrari pascha mense secundo, tamen causae seu occasiones celebrandi illud mense secundo ex concessione Dei, imo dispensatione Dei, fuerunt prorsus diversae ab iis, ob quas Ezechias et quidem primo anno regni sui curavit pascha celebrari mense secundo. Nam tunc tantum celebrari posse pascha secundo mense permisit Deus [4]): »Si quis fuerit immun»dus super anima, sive in via procul in gente »vestra«. Hoc est, si quis primo mense non potuerit pascha celebrare ob funeris immunditiam legalem, a qua se liberare non potuit ante quartum decimum diem mensis primi, quando pascha Hierosolymis tantum celebrandum erat [5]), seu ut ait S. Augustinus [6]) ob mortui, id est, contactu cadaveris, ob quem immunditia durabat septem diebus [7]), vel si quis ex gente hebraea

[1]) In 2. Paral. 30. [2]) Lev. 23, 5. Exod. 12, 2. Num. 28, 16. [3]) Num. 9, 10. 11. [4]) Num. 9, 10. [5]) Deut. 16, 2. [6]) In Num. q. 18. [7]) Num. 19, 11. 16.

extra terram promissam profectus, ob iter remotum a Iudaea et Ierusalem non potuisset pervenire ad Ierusalem pro die destinato, poterat mense secundo illud celebrare quarta decima die. Alioquin ut infra additur[1]) : »Si quis autem et »mundus est, et in itinere non fuit, et tamen »non fecit Phase, exterminabitur anima illa de »populis suis. quia sacrificium Domino non obtu»lit tempore suo, peccatum autem suum« (id est, poenam peccati sui per metonymiam) »ipse »portabit«. — Ezechias autem ob causas prorsus diversas (quicquid dicant contra sentientes haeretici) ideo secundo mense illud celebravit, uti bene observavit Bonfrerius[2]) scribens, et ante illum Serrarius[3]): I⁰ »quod deessent »numero sufficientes sacerdotes consecrati, eo »quod regnante impio Achaz Ezechiae patre, »inducta fuisset idololatria, et sacrificia ministe»riumque in templo sacrum cessasset. II⁰ quod »residuus populus, necdum ab Assyriaca clade »fuisset Ierosolymam evocatus, nec vero tam »cito congregari posset«. Nam primo anno Ezechiae, primum coepit templum expurgari a sordibus, idque primo die primi mensis, quo celebrandum erat pascha, et duravit expurgatio ad sextam decimam diem mensis, quando iam tempus paschae transierat, scilicet quartus decimus dies

[1]) Num. 9, 13. [2]) In num. 10. c. 9. [3]) Q. 28. in Iosue cap. 5.

mensis primi [1]). III-a etiam ratio colligitur a capite istic praecedenti, quod templum a sordibus et immunditiis non potuisset perfecte emundari ante diem sextum decimum mensis primi. Haec bene Bonfrerius. Cuius prima ratio valida est; nam ut dicitur [2]): »Sacerdotes pauci erant, »nec poterant sufficere, ut pelles holocaustorum »detraherent, unde et levitae fratres eorum adiu»verunt eos« (etsi contra legem id solis sacerdotibus committentem [3]) »donec impleretur opus, »et sanctificarentur antistites« (id est sacerdotes, ut habetur in textu hebraeo et apud septuaginta interpretes). — Secunda quoque ratio valida est, quia ut dicitur templi a sordibus et immunditiis expurgatio inchoata est [4]) »prima die »mensis primi«: finita vero »die sexta decima »mensis eiusdem«, ut habetur versu eodem. Pascha autem quarta decima die mensis primi celebrandum erat, ut superius ex Scriptura ostendi.

Tamen non peccasse in hoc Ezechiam mortaliter, certum est, tum ob laudem eius superius positam, tum quia praeceptum eius de celebrando paschate mense secundo appellatur, »Verbum »Domini« [5]), hoc est, Iehovae.

Tertio, ex alio capite poterat videri peccasse Ezechias mortaliter, quia ut ibidem dici-

---

[1]) Exod. 12, 6. [2]) 2. Paral. 29, 34. [3]) Levit. 16, 32. [4]) 2. Paral. 29, 17. [5]) 2. Paral. 30, 12.

tur [1]) celebravit illud pascha per quatuordecim dies. addendo alios septem dies et vetuerit omnem additionem ad sua praecepta et leges [2]). Tamen nec per additionem aliorum septem dierum eum peccasse, uti nec populum obedientem, certum est, tum ob easdem causas, quas adduxi ad defendendam celebrationem paschae mense secundo, tum quia post celebrationem paschae per quatuordecim dies statim dicit Scriptura [3]): »Exaudita est vox eorum, pervenitque oratio in »habitaculum sanctum Dei«. Hoc autem signum est, placuisse Deo illam festivitatem, et in ea preces ad Deum fusas, proinde sine peccato Ezechiae transacta est talis festivitas eius auctoritate inchoata et consensu absoluta. Quod confirmatur duobus modis:

I° quia capite sequenti, versu primo dicitur, »haec fuisse rite celebrata«.

II° quia ob haec celebrata, statim laudatus est Ezechias, a Spiritu Sancto his verbis [4]): »Fecit ergo Ezechias universa quae diximus in »omni Iuda: operatusque est bonum et rectum »et verum coram Deo suo, in universa cultura »ministerii domus Domini, iuxta legem et caeremonias volens requirere Deum suum in toto »corde suo: fecitque et prosperatus est«: singula

[1]) 2. Paral. 30, 23. Cf. Exod. 12, 15. et Lev. 23, 6. 7. [2]) Deut. 4, 2. et 12. 32. [3]) 2. Paral. 30, 27. [4]) 2. Paral. 31, 20. 21.

verba vim habent magnam pro defensione Ezechiae, tanquam qui ne venialiter quidem in his deliquerit.

Quocirca S. Ezechias non peccavit mortaliter, immo nullo modo in rebus factis bono animo, etsi contra verba clara divinae legis faciendo et ordinando res maioris momenti, et sibi non aeque necessarias nec aeque convenientes, quam fuerit ostensio suorum thesaurorum, multo minus peccavit mortaliter eos ostendendo legatis ad se missis.

Dices cum rabbi Salomon apud Lyranum, eum peccasse mortaliter quia ostendit ethnicis seu gentibus (ex quibus erant illi legati) thesauros templi, et sacra vasa templi, eosque in templum induxit: quod erat severissime vetitum a Deo.

Respondeo cum Barradio[1]) haec non esse verisimilia. »Quis enim credat ethnicos«, inquit Salianus[2]) idem sentiens, »a pio Ezechia »in templi penetralia admissos, aut tabulas quae »in arca foederis, in sancto Sanctorum occultabantur, inde acceptas fuisse, eisque ostensas, »cum eo ne regi quidem, imo neque levitis aut »sacerdotibus, denique omnino nemini, praeter»quam summo pontifici semel in anno cum mul»tis ceremoniis liceret introire? Admitteret in»circumcisos in oraculum, quos neque in templum,

[1]) Tom. 1. lib. 5. c. 14. [2]) A. M. 3324. n. 31.

»neque in eius vestibulum, neque in atrium levi»tarum, postremo neque in atrium Israelitarum, »sine capitali crimine, introducere liceret, sed »tantum in atrium gentium. Unde et capitis age»batur reus D. Paulus ab Hebraeis, quod dice»retur gentiles in templum, id est in atrium »Israelitarum induxisse. Et quis dubibet, si ve»rum esset, quod rabbini isti fingunt, ut semper »novi aliquid dicant, id nominatim Ezaiam, et »quidem acerbe reprehensurum fuisse? Ut satis »intelligi potest ex iis, quae deplorat Ieremias[1]) »Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, »de quibus praeceperat, ne intrarent in Eccle»siam tuam«. Sola ergo elatio animi fuit in Ezechia causa poenarum infra explicandarum.

Quarta causa, ob quam non fuit peccatum mortale hoc factum Ezechiae in ostensione thesaurorum, quia erat in materia superbiolae cuiusdam. Nam ut dicitur[2]): »Humiliatus est po»stea, eo quod exaltatum fuisset cor eius«, quae superbiola in eo, spectatis omnibus circumstantiis, non poterat esse peccatum mortale. Nam ut ait S. Thomas[3]) »amor humanae gloriae quam»vis sit inanis, si non repugnet caritati, neque »quantum ad id de quo est gloria, neque quan»tum ad intentionem gloriam quaerentis, quod »non dirigat ad gloriam ut ad ultimum finem,

[1]) Thren. 1. 10. [2]) 2. Paral. 32, 26. 31. [3]) II-a II-ae q. 132. a. 3.

»non est peccatum mortale sed veniale«. Idem docent omnes summistae v. gloria inanis, cum Toleto [1]). Idem apparet ex doctrina S. Thomae tradita de superbia [2]) et de iactantia [3]) et de ingratitudine [4]), ad quae tantum peccata potest reduci hoc Ezechiae.

Non fuisse autem in eo talem inanem gloriam, patet ex laudibus a Spiritu S. ei attributis supra commemoratis, et ex incredibili zelo, quo Dei gloriam promovit, cum magno periculo suo. Vix enim factus rex, zelo salutis animarum accensus, per utrumque regnum cursores dimisit, precibus solicitavit, monitis instruxit, ut omnes ad Dei sui cultum et venerationem adduceret. Statim templum expurgavit a sordibus, Dei cultum restauravit, et cum regnum universum nutaret, Assyriis ubique impune volitantibus, inquit Sallanus [5]) ad omnia immobilis, blasphemas in Deum voces ferre non potuit, et apud Deum filiali fiducia conquestus est. Invaserat in regnum Assyriorum rex cum ducentis millibus armatorum, atque in eius visceribus grassabatur, totam late regionem populabatur, omnes pene civitates munitas in potestatem redegerat: iisdem armis ac viribus Hierosolymis imminebat, quibus meminerant omnes regnum Israelis ante aliquot

---

[1]) Lib. 8. c. 6. 7. [2]) II-a II-ae q. 162. a. 5. [3]) II-a II-ae q. 112. a. 2. [4]) II-a II-ae q. 107. a. 3. [5]) A. M. 3337. n. 6, 7, 8.

annos concidisse: nullum tamen verbum de deditione factum: quod oculi eius manusque in caelum erectae, liberationem ab hoste barbaro perfido, blasphemo, divinitus expectarent. Hanc enim ob causam Ezechias acceptis literis de manu nunciorum qui minas Senacherib regis Assyriorum ei nuntiabant, et excidionem intentabant, lectas literas »intulit in Domum Domini, et »expandit eas coram Domino« [1]; et oravit. »Qua oratione«, S. Chrysostomus ait [2] Ezechiam »hostes vicisse, non armis«. Deinde illa regis humilitas erga Deum, et propriae apud ipsum depositio voluntatis in tanta re, quantum illa postrema Isaiae comminatio continebat, omnem superat admirationem. Laetatus erat in legatorum longinquae regionis adventu, gratulatus erat sibi amicitiam suam ab exteris regibus expeti, et Dei eximiam erga se benevolentiam prodigiis declaratam agnosci. Ostentarat opes suas et hostibus erepta spolia, quod vulgo principes non in crimine sed in laude ponunt. Et tamen audit: »Ecce dies veniunt, et auferentur »omnia quae sunt in domo tua, et quae condi»derunt patres tui usque in diem hanc in Baby»lonem, non remanebit quidquam, ait Dominus; »sed et de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos »generabis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio

[1]) 4. Reg. 19, 14. [2]) De orando Deo lib. 2. in fine.

»regis Babylonis etc.«. Audivit haec sine murmure, sine excusatione, sine quaerela.

Certe nullus prudens hominem his exornatum virtutibus, et adeo laudatum a Deo condemnare potest, quod finem ultimum posuerit in illis thesauris ostensis, vel in gloriae cupiditate, ex ostensione eorum quaesitae. Fixum sit ergo eum tantum venialiter peccasse, vel ut ait Serrarius[1]) aliquantum ingratitudine et superbia.

Quoad secundum, videamus nunc conditionem seu qualitates personae Ezechiae, qui Deum offendit.

I° fuit talis, qualem ut supra vidimus descripsit Spiritus S.[2]).

II° tam bene erat sibi conscius, ut ausus fuerit dicere Deo: »Obsecro Domine, memento »quaeso, quomodo ambulaverim coram te in ve»ritate, et in corde perfecto, et quod placitum »est, coram te fecerim«[3]). Quod eum vere dixisse certum est, tum quia eius dicta sunt conformia dictis de eo a Spiritu S.[4]), tum quia his dictis suis, sincere coram Deo prolatis, statim miraculosam sui sanationem impetravit, paulo post explicandam: tum quia Isaias propheta in suas inseri prophetias voluit haec ipsissima eius dicta, pro instructione totius ecclesiae Dei, quod non fecisset, si vera ab eo non fuissent dicta,

[1]) In 4. Reg. et 2. Paral. [2]) 4. Reg. 18, 3–8 et 2. Paral. 31, 20. 21. [3]) 4. Reg. 20, 3. [4]) 3. Reg. 15, 5.

ne coinquinaret librum prophetiarum divinarum falsa eius iactantia.

III⁰ ex patientia magna et humilitate, quam Ezechias ostendit audita praedictione Isaiae, colligitur magna illius sanctitas. »Alter enim ali»quis non aeque sanctus dixisset: Quid feci?« inquit Salianus[1]) »quod est peccatum meum, »ut tam severa animadversione puniatur? Num »ostentatio bonorum meorum, impiorum rapina »et latrociniis vindicanda est? Quis mercatorem, »merces suas populis inaniter commonstrantem »praedonibus propterea addicendum putat? Sed »esto, superbia mea et ingratus in Deum ani»mus, qui me tot prodigiis in altum extulit, de»iectionem istam meretur. Quid meruere pueruli »filii mei, damnati antequam nati, servituti ad»dicti, nondum degustata libertate? Nihil horum »ille, sed humillimo et patientissimo animo, ac „plena rara etiam in religiosis resignatione, obe»dientia ac cum divina voluntate conformitate, »dixit ad Isaiam[2]): »Bonus sermo Domini quem »locutus es: sit pax et veritas in diebus meis«.

IV⁰ in tanta fuit apud Deum gratia, ut cum esset innumerabili exercitu Assyriorum tremefactus, et expansis coram Deo literis, hostis minarum plenis, Dei auxilium implorasset, impetrarit illud statim, et hac de re per Isaiam prophetam divinitus missum, certior factus fuerit, et

[1]) A. M. 3337. n. 8. [2]) 4. Reg. 20, 19.

obtinuerit, ut per angelum a Deo missum, una nocte in castris Assyriorum occisa sint ex hostibus eius, centum octoginta quinque milia [1]).

V⁰ tanti fecit eum Deus, ut cum ei praedixisset mortem, statim secuturam, idque per Isaiam prophetam, precibus et lacrymis eius paululis motus, suum decretum iam ei promulgatum statim revocarit [2]), etsi Deus de se dixerit: »Ego »Deus et non mutor«. Quod quomodo fiat, pulchre explicat S. Thomas [3]): »Divina«, inquit, »praescientia respicit futura secundum duo: sci»licet, secundum quod sunt in se ipsis, in quan»tum scilicet ipsa praesentialiter intuetur: et »secundum quod sunt in suis causis, in quan»tum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. »Et quamvis contingentia futura, prout sunt in »se ipsis, sint determinata ad unum, tamen prout »sunt in suis causis non sunt ita determinata »quin possint aliter evenire. Et quamvis ista »duplex cognitio semper in intellectu divino con»iungatur, non tamen semper coniungitur in »revelatione prophetica: quia impressio agentis »non semper adaequat eius virtutem. Unde quan»doque revelatio prophetica est impressa quae»dam similitudo divinae praescientiae, prout re»spicit ipsa futura contingentia in se ipsis. Et »talia sic eveniunt, sicut prophetantur, secundum

[1]) 4. Reg. 19, 14. 20. 35. [2]) 4. Reg. 20, 5. [3]) II-a II-ae q. 171. a. 6. ad 2.

»illud [1]). Ecce Virgo concipiet: Quandoque vero »revelatio prophetica est impressa similitudo di»vinae praescientiae, prout scilicet cognoscit or»dinem causarum ad effectus: et tunc quando»que aliter evenit quam prophetetur; nec tamen »prophetiae subest falsum. Nam sensus prophe»tiae est, quod inferiorum causarum dispositio »sive naturalis, sive humanorum actuum, hoc »habet, ut talis effectus eveniat; et secundum »hoc intelligitur verbum Isaiae dicentis [2]): Mo»rieris et non vives; id est dispositio corporis »tui ad mortem ordinatur: Et quod dicitur [3]): Ad»huc quadraginta dies et Ninive subvertetur; id »est, haec merita eius exigunt, ut subvertatur. »Dicitur autem Deus poenitere metaphorice, in»quantum ad modum poenitentis se habet, prout »scilicet mutat sententiam, etsi non mutet con»silium«.

VI° non contentus revocatione sui decreti addidit adhuc quindecim annos eius vitae.

VII° et hanc promissionem miraculo confirmavit Deus, faciens, ut non sola umbra (uti putat Paulus Burgensis et Vatablus [4]) et Sa et haeretici Functius, Osiander et alii) sed vere sol retrocesserit in sua substantia, non in solis radiis, retro ad decem gradus:

a) quia hoc verba S. Scripturae clare indi-

---

[1]) Isa. 7, 14. [2]) Is. 38, 1. [3]) Ion. 3, 4. [4]) In Is. c. 38.

cant [1]): »Reversus est sol decem lineis per gra»dus quos descenderat [2]). In diebus ipsius retro »rediit sol«.

b) Idem dicunt Patres: S. Dionysius Areopagita [3]), Origenes [4]), Nazianzenus [5]), Hieronymus [6]), Augustinus [7]), Chrysostomus [8]), Theodoretus [9]), Procopius [10]), S. Thomas [11]), Beda, Abulensis [12]), Lyra, Dionysius, Hugo, Genebrardus, Baradius, Sasbout, Sanctius, Serarius, Clavius [13]), Castrius, Theryngus, in replicis quas ad glossas ordinarias adiecit, Salianus [14]), Tyrinus [15]).

c) Quia e Babylone submissi legati inquisiverunt de hoc portento. Unde patet non Ierosolymis tantum in unico regis horologio, id spectatum fuisse, sed hoc portentum universum orbem terrarum pervasisse. Ideo merito S. Dionysius Areopagita [16]) ex mutatione cursus astrorum Apollophanis infidelitatem redarguit, qui eum non coleret, cuius nutu sol et luna immota consistat, et quo imperante, illius, quidam dies, continuatione fere triplo longior effectus est, etiam viginti totis horis. Nam sola umbra horologii

---

[1]) Isai. 38, 8. [2]) Eccli. 48, 26. [3]) Epist. ad Polyc. [4]) Hom. 30. in Matth. [5]) Or. 18. [6]) In Is. c. 7. et 38. et in tradit. 2. Paral. 32. [7]) De civ. l. 21. c. 8. [8]) Hom. 27. in epist. ad Hebr. col. 4. [9]) In Psalm 20. [10]) In Is. c. 38. [11]) Opusc. 63. c. 2. §. tertium principale nu. 27. [12]) In 4. Reg. 21. [13]) Lib. de horol. c. 21. [14]) A. M. 3322. n. 89. et seq. [15]) Comm. in 4. Reg. 20. [16]) Epist. ad Polyc.

Achaz, diem non potuit facere longiorem; moxque subdit ea re Babylonios iure ac merito fuisse deterritos. Quomodo autem deterriti fuissent, si id privatim et non publice contigisset? Addit denique in eius rei confirmationem, magos illarum regionum sacra perficere solitos memoriae triplicis solis. Magnum ergo divini favoris argumentum fuit erga Ezechiam, hic solis ad decem gradus regressus. Ideo merito S. Gregorius Nazianzenus[1]) ait: »Regem hunc »a Deo gratia simul et signo honoratum fuisse, »atque per diei augmentum, dierum quoque vi»tae eius augmentum esse confirmatum«.

VIII° non quomodocunque hoc in eius gratiam Deus miraculum fecit, sed data ei optione, eligendi, quale vellet, et eo illud antea postulante. Qua in re etsi S. Hieronymus[2]) putet eum peccasse peccato parvae fidelitatis, melius tamen Abulensis, et Lyranus, cum Dionysio et Saliano sentiunt, eum non peccasse signum concedendae sibi a Deo vitae longioris petendo, quia non ex incredulitate illud petiit, sed potius ad Dei gloriam, ut ea gemino signo illustraretur. Cum enim sciret Ezechias in hoc genere peccasse Achaz, specie non tentandi Deum, voluit ipse mederi huic culpae, et gloriam Dei impetrando signum amplificare. Nam ut ait auctor mirabilium S. Scripturae

[1]) Or. 18. [2]) Contra Pelag. lib. 2.

(quem aliqui Augustinum [1]) esse putant): »Dum »Isaias duas prophetias sibimet invicem contra»rias, eadem hora protulisset, necesse erat, ut »alteram quae facienda esset, signi ostentatione »firmaret«. Vel ut ait Iosephus Flavius [2]): »Haec »cum propheta ita ut iussus erat, ad regem »perferret, ob magnitudinem morbi et inopina»tum nuntium, dubitans, prodigiosum aliquod »signum ab Isaia postulat, ut certo posset cre»dere missum illum ad se a Deo nuntium«.

Ex quibus, inquit Salianus, intelligi potest Ezechiam noluisse tentare Deum, experimentum capiendo de ipsius veritate, vel potentia, quam satis superque exploratam habebat, sed prophetam potius tentare voluisse, qui tam brevi tempore contraria praedixisset: an scilicet utraque denunciatio a Deo fuisset. Iustam autem dubitationis causam habebat, cum in lege datum esset signum falsi prophetae, si quod praedictum fuerat, non eveniret: »Hoc habebis signum«, inquit Moyses [3]) »quod in nomine Domini propheta »praedixerit. et non evenerit, hoc Dominus non »est locutus, sed per tumorem animi sui pro»pheta confixit, et idcirco non timebis eum«. Consentit Abulensis [4]).

IX⁰ Alia quoque praeclare gesta ab Ezechia eius sanctitatem confirmant. Nam:

---

[1]) Lib. 2. c. 28. [2]) Lib. 8. c. 23. [3]) Deut. 18, 22. [4]) In 4. Reg. 20. q. 20.

a) Regni administrationem inchoavit a divino cultu. Nam ut dicitur [1]): »Anno, et mense primo »regni sui aperuit valvas domus Domini, et in»stauravit eas, adduxitque sacerdotes et levitas, »et iussit ut sanctificati prius, mundarent do»mum Domini et auferrent omnem immunditiam »de sanctuario«. Statimque, ut dicitur infra [2]): »coeperunt prima die mensis primi mundare . . ., »et in die sextadecima mensis eiusdem, quod »coeperant impleverunt«.

b) Foedus renovavit cum Deo [3]): »Nunc«, inquit, »placet mihi ut ineamus«, (id est, renovemus) »foedus cum Domino Deo Israel«.

c) Ad celebrandum Pascha invitavit et vocavit populos, mense extraordinario, scilicet secundo, ut supra dixi. Quod eum fecisse ex peculiari Dei instinctu et sacerdotum approbatione, etiam hinc colligi potest, quia Deus peculiari sua motione excitavit corda eorum, qui erant a rege invitati ad celebrandum Pascha. Sic enim dicitur [4]): »In Iuda vero, facta est manus Domini, »ut daret eis cor unum, ut facerent iuxta prae»ceptum regis et principum, verbum Domini«.

d) Causa fuit hac evocatione ad celebrandum Pascha, ut populus ipse zelo divini honoris per exemplum pii regis commotus, expurgaret civitatem Ierusalem ab idololatrici cultus reliquiis,

---

[1]) 2. Paral. 29, 3. [2]) Ibidem ver. 7. [3]) 2. Paral. 29, 10. [4]) 2. Paral. 30, 12.

ab Achaz impio patre Ezechiae introducti. Achaz enim occluso templo Dei Ierosolymitano, ut magis Dei populum averteret a Dei cultu, impeditum a se, ne in templo debitum Deo cultum praestaret, »fecit altaria in universis angulis Ie»rusalem« [1]). Ideo pii populi postquam Pascha ab Ezechia indictum celebrassent, »surgentes »destruxerunt altaria quae erant in Ierusalem, »atque universa, in quibus idolis adolebatur in»censum, subvertentes, proiecerunt in torrentem »Cedron«. Eo modo quo antea per sacerdotes expurgato ipso templo, levitae tulerunt similem immunditiam, hoc est, ut exponit S. Hieronymus in traditionibus in hoc caput, idolorum simulacra et aras et supellectilem idololatricam, »et asportaverunt ad torrentem Cedron foras« [2]).

e) Hoc ipso tempore, credibile est eum valvas templi Domini laminis aureis operuisse, quarum mentio fit in S. Scriptura [3]) ut putat Salianus [4]).

f) Fuit causa hac solemnitate extraordinaria Paschatis mense secundo celebrati, quod etiam extra Ierosolymam a populo illo domum redeunte post Pascha, Ierosolymis celebratum, confracta sint simulacra idololatrica in urbibus Iuda, et succisi luci, et destructa excelsa et altaria [5]), in omnibus enim urbibus Iuda extruxerat Achaz

[1]) 2. Paral. 28, 24. [2]) 2. Paral. 29, 16. [3]) 4. Reg. 18, 16. [4]) A. M. 3309. n. 20. [5]) 2. Paral. 31, 1.

aras ad cremadum thus diis alienis [1]). Nec tantum zelus iste idololatriam abolevit in regno Iuda (ad quod spectat Iuda et Beniamin) sed etiam in alterum regnum Israel se extendit. Nam sequitur [2]): »sed et de Ephraim quoque et Manasse penitus talia everterunt«.

g) Ut haec fierent a populo, tum Ierosolymis, tum extra illam urbem, in utroque regno Iuda et Israel, ipse primus exemplo praeluxit. Nam quam primum regnare coepit, dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos [3]).

h) Quod his omnibus maius et generosius est, calcato omni humano respectu, non metuens offensionem et rebellionem procerum et totius populi, nec timens ne subditi ad Assyrium deficerent eumque regno privarent, »confregit ser»pentem aeneum quem fecerat Moyses, siquidem »usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei »incensum« [4]). Nimirum adoratio haec scelesta duravit iuxta supputationem Saliani [5]) per annos septigentos viginti septem ab anno quadragesimo egressionis Iraelitarum ex Aegypto. »Animosum porro«, inquit Salianus [6]): »fuit hoc »facinus, et plenum spe et fiducia in Deum. Nam »rem humana prudentia aestimantibus, videri »poterat periculosum negotium. Ignarum enim

---

[1]) 2. Paral. 28, 25. [2]) 2. Paral. 31, 1. [3]) 4. Reg. 18, 4. [4]) Ibidem. [5]) A. M. 3309. n. 27. [6]) A. M. 3309. num. 31.

»ac rudem populum existimaturum, Ezechiam »tam Domino ipsi, quam diis gentium bellum »indixisse, qui rem Dei ipsius iussu a sanctissi»mo legistatore fabricatam, et tot annis a sanc»tissimis viris, pontificibus, regibus, populique »principibus conservatam, ut divinae erga popu»lum suum misericordiae ac benevolentiae argu»mentum, ipse temere atque irreligiose confre»gisset«. Sed quia ut dicitur: »In Domino Deo »Israel speravit« [1]), non timuit rebellionem, sed recte sustulit materiam publicae offensionis, et prolapsionis in idololatriam, ex abusu rei olim bonae ortam. Ideo ob id laudatur a S. Scriptura [2]).

i) Quo autem perpetuus esset cultus Dei, celebrato Paschate, turmas sacerdotales leviticasque a patre suo dissipatas, constituit in officio quamque suo, sacrificandi, ministrandi, canendi, et de suo stata assignavit sacrificia [3]) »et praecepit »populo« (Hierosolymitano) »ut darent partes »sacerdotibus et levitis, ut possint vacare legi »Domini. Quod cum percrebuisset in auribus »multitudinis, plurimas obtulere primitias filii »Israel frumenti, vini et olei, mellis quoque et »omnium quae gignit humus, decimas obtulerunt »Sed et filii Israel et Iuda; qui habitabant in »urbibus Iuda, obtulerunt decimas boum et ovium »decimasque Sanctorum« (id est sanctas) »quas

[1]) 4. Reg. 18, 5. [2]) Ibidem. v. 4. [3]) 2. Paral. 31, 3. sq.

»voverant Domino Deo suo atque universa por»tantes, facerent acervos plurimos. Mense tertio »coeperunt jacere fundamenta«, (id est inchoare acervos) »et mense septimo compleverunt eos«, (id est, a Mense Maio usque ad Novembrem). »Cumque ingressi fuissent Ezechias et principes »eius viderunt acervos, et benedixerunt Domino »ac populis Israel. Interrogavitque Ezechias sa»cerdotes et levitas, cur ita iacerent acervi: re»sponditque illi Azarias sacerdos primus de stirpe »Sadoc dicens: Ex quo coeperunt offerri primi»tiae in domo Domini, comedimus et saturati »sumus, et remanserunt plurima, eo quod bene»dixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem »copia est ista quam cernis. Praecepit igitur Eze»chias, ut praepararent horrea in domo Domini«. Non ut recens construerentur, erant quippe iam pridem a Salomone aedificata, inquit Salianus, sed ut mundarentur. Providit quoque rex ut per idoneos homines levitici generis omnia conservarentur et distribuerentur sub manibus Chroneniae et Semei, fratris eius, atque vicarii. Propterea enim secundus dicitur. Omnia autem fiebant »ex imperio Ezechiae regis, et Azariae« (sive Neriae) »pontificis domus Dei, ad quos »omnia pertinebant« [1]). Haec de conditione et qualitate sanctimoniae Ezechiae dicta sufficiant,

[1]) 2. Paral. 31, 13.

ad cognoscendum, quomodo etiam sanctorum magnorum parva peccata Deus severe puniat.

Quantum ad tertium. I⁰ Ponderemus nunc poenam a Deo praenunciatam Ezechiae et inflictam post eius mortem, ob venialem eius animi elationem. Ea sic describitur[1]): »Venit »Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque »ei: Quid dixerunt viri isti, aut unde venerunt »ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua »venerunt ad me de Babylone. At ille respon»dit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: »Omnia quecunque sunt in domo mea, viderunt, »nihil est quod non monstraverim eis in thesau»ris meis«. Sincera confessio sancti viri. »Dixit »itaque Isaias Ezechiae: Audi sermonem Domini: »Ecce dies venient, et auferentur omnia, quae »sunt in domo tua et quae condiderant patres »tui, usque in diem hanc in Babylonem: non »remanebit quidquam, ait Dominus. Sed et de »filiis tuis, qui egredientur ex te, quos genera»bis, tollentur, et erunt eunuchi in palatio regis »Babylonis«. In his verbis duplex poena infligitur Ezechiae:

I⁰ Interna, nimirum notitia poenae infligendae, divinitus per Isaiam prophetam praenunciata Ezechiae, quae procul dubio animum eius magno moerore affecit, duplici ex capite:

a) acerbitas multiplex et calamitas imminens

[1]) 4. Reg. 20, 14. sq.

posteris eius, quae per seipsam considerata, non poterat non gravissime torquere animum optimi regis, et de suorum posterorum incolumitate et felicitate soliciti.

b) Hoc quoque eum afflixit magis, quia agnovit se esse causam futurarum illarum calamitatum. Quod in homine honesto et ingenuo maiorem solet adferre doloris sensum, quam ipsa calamitatum magnitudo. Hinc multi mallent occidi, quam esse in moerore. »Moeror enim«, inquit S. Chrysostomus[1]), ad Olympiadem diaconissam sanctam feminam mire laudatam ab eo in epistolis ad eam, cupiens eam solari moestam, tantum ob absentiam Chrysostomi (quae causa non erat tanti momenti, uti erant calamitates praenunciatae Ezechiae, posteris eius divinitus per hostium furorem inferendae) »Moeror inquam«, ut scribit S. Chrysostomus: »grave animorum tormentum est, do»lor omnem sermonis vim excedens, ac suppli»cium omni supplicio et cruciatu acerbius. Si»quidem pestiferum vermem imitatur, non carnem »dumtaxat, sed etiam animam perstringens. Ac »tinea est, non ossium tantum, verum etiam »mentis, et perpetuus carnifex, non latus fodiens, »sed animi vires labefactans, et perpetua nox et »tenebrae, et tempestas, ac procella et obscura »febris, quavis febre vehementius exurens: et »bellum, indutiarum expers. Nam et sol et liquidi

[1]) Epist. 3.

»huius aëris natura, iis qui ita affecti sunt, mo»lestiam exhibere videtur, atque in meridiana »luce profundam noctem imitari, etc.«. Et multa alia copiosissime proponit, ad explicandum acerbissimum mentis cruciatum. Cum autem idem dicat [1]): »tristitia de peccato suscepta illud de»leri«: cur Deus ob Ezechiae tristitiam non amovit plagam posteris eius praenunciatam, sicut ob preces eius, mortis sententiam contra eum latam revocavit, et adhuc quindecim annos vitae addidit? Voluit ostendere, quantopere offendatur etiam uno veniali peccato etiamsi a sanctis committatur.

II° in verbis illis Isaiae altera poena externa proponitur per Isaiam, infligenda posteris Ezechiae, et quidem subsecuta longe maior, quam sit ab Isaia praenunciata. Sic enim describitur [2]): »Venit Nabuchodonosor rex Babylonis ad civi»tatem cum servis suis, ut oppugnaret eam. »Egressusque est Ioachim rex Iuda ad regem »Babylonis ipse et mater eius, et servi eius, et »principes eius, et eunuchi eius, et suscepit eum »rex Babylonis anno octavo regni sui, et pro»tulit inde omnes thesauros domus Domini, et »thesauros domus regiae, et concidit universa »vasa aurea quae fecerat Salomon rex Israel in »templo Domini iuxta verbum Domini. Et trans»tulit omnem Ierusalem et universos principes

[1]) Ad popul. hom. 18. [2]) 4. Reg. 24, 11. sq.

»et omnes fortes exercitus, decem milia, in cap»tivitatem, et omnem artificem et clusorem»: (hoc est, claudentem castra, et vallis fossisque cingentem, qui nunc vocantur metatores vel architecti seu ingeniarii) »nihilque relictum est, »exceptis pauperibus populi terrae«. Sicut enim olim caverant Philistaei [1]), ne Hebraei ullos haberent penes se fabros ferrarios, qui gladios, lanceas, aliave arma ad rebellandum cuderent; ita tunc sategerunt Chaldaei, ut nullus in Iudaea maneat faber, nullus artifex, nullus architectus, qui vel moenia urbium aut arcium componere vel arma aliave instrumenta bellica conficere posset, inquit Angelomus. »Transtulit quo»que Ioachin« (qui et Iechonias appellatur) »in »Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, »et eunuchos eius, et iudices terrae duxit in ca»ptivitatem de Ierusalem in Babylonem. Et »omnes viros robustos, septem milia, et artifices, »et clusores mille, omnes viros fortes et bella»tores, duxitque eos rex Babylonis captivos in »Babylonem« [2]). Contigit hoc anno centesimo vigesimo septimo post hanc praedictionem ab Isaia factam. Ecce effectus peccati unius venialis a viro sancto commissi. Porro Ioachin mansit in carcere Babylonico per triginta septem annos, ut dicit S. Scriptura [3]).

[1]) 1. Reg. 13, 19. [2]) 4. Reg. 24, 15. 16. [3]) 4. Reg. 25, 27.

Si nunc rex aliquis cum tot aliis abduceretur in captivitatem, et sciretur id a Deo ordinatum in poenam peccati, quis non crederet, illud peccatum fuisse valde exosum Deo? Ideo cum ob peccatum veniale Ezechiae id a Deo dispositum sit, credendum est valde illud Deo displicere; multo magis vero alia peccata hominum venialia, hoc Ezechiae peccato graviora. Sane si nulla alia poena esset, quam direptio thesaurorum regiorum et templi, inaestimabile damnum esset, siquidem omnes thesauri et a Davide et a Salomone, et ab aliis duodeviginti regibus collecti per annos trecentos quadraginta octo, qui a morte Salomonis intercesserunt ad initium regni Ioachin, sub quo id contigit, videntur excedere fidem humanam.

Nam soli thesauri in sepulcro Davidis reconditi, fuerunt maiores omnium regum nunc viventium thesauris. Siquidem ut scriqit Josephus[1]): »Cum post mille trecentos annos Hyrcanus pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, ut abducto exercitu obsidionem solveret nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, et prolatis inde tribus talentorum milibus« (id est, quadraginta quatuor millionibus et quingentis quinquaginta milibus scu-

[1]) Antiq. 7, 12.

torum, ut computat Pineda[1]): »earum parte »Antiocho numerata, oppugnationis periculo se »exemit. Deinde post multos annos elapsos, He»rodes rex, alia cella aperta magnam pecuniam »sustulit: ad loculos tamen qui regis cineres »continebant, neuter eorum pervenit. Singulari »enim arte ita erant recondita, ut ab introeun»tibus monumentum, inveniri nequirent«. Iam si et in hac altera cella, alterum tantum fuit repositum, sicut in prima reclusa ab Hircano, esset fere summa mille millionum. Quod si crescunt proportione, qua loculi interiores sunt, eo ditiores videntur fuisse; proinde pecuniarum vis, inquit ex Villapando Pineda loco citato, fidem et cogitationem superare videtur. Fuerunt enim octo loculi interiores, ut scribit Petrus Comestor[2]). Cum autem nemo dubitare possit, Salomonem longe maiorem pecuniarum summam, sibi, pro suis et regni necessitatibus ex thesauris patris reliquisse, ad minimum duo milia millionum mortuo patre ex eius haereditate accepit.

His millionibus si addantur thesauri collecti ab ipso Salomone per annos quadraginta quibus regnavit, et quidem in pace, desunt mihi verba quibus exprimam, magnitudinem thesaurorum eius. Nam non computando alias causas

---

[1]) In praevio Salom. t. 4. c. 2. §. 9. n. 10. ex Villapando t. 2. l. 5. d. 4. c. 6. [2]) 3. Reg. c. 3.

opum Salomonis, sed solam navigationem et classem quam fecerat, semel per tres annos mitti solitam per mare in Tharsis et Ophir [1]) (quae erant diversae regiones, ut ostendit Pineda [2]), una vice ex Ophir attulerunt inde Salomoni, »sumptum aurum quadringentorum viginti talen»torum« [3]). Quae summa maior adhuc recensetur [4]) scilicet, »quadringentorum quinquaginta »talentorum auri«, hoc est, maior triginta talentis auri. Sed adhuc plura numerat Iosephus [5]) nempe »talenta sexcenta sexaginta sex, non nu»merato, quod privati negotiatores mercati sunt«. Et quod mirabilius est: quod indicatur semel tantum Salomoni allatum [6]); multo plus ei quotannis adferri ex navigatione solitum, dicitur: »Erat pondus auri quod afferebatur Salomoni per »annos singulos sexcenta, sexaginta sex talenta »auri [7]): praeter gemmas pretiosas« [8]).

Unum autem talentum auri, inquit Pineda [9]) ex computatione Hebraeorum Hispaniensium facta in eorum Bibliis Hispanicis, efficiunt ducatorum viginti tria milla et septingentos sexaginta. Si vero talentum sit argenti, efficit mille septingentos quadraginta quinque ducatos plus minusve.

---

[1]) 3. Reg. 9, 28. et 10, 22. [2]) De Salom. l. 4. cap. 5. [3]) 3. Reg. 9, 28. [4]) 2. Paral. 8, 18. [5]) Antiq. l. 8. c. 2. [6]) 3. Reg. 9, 28. [7]) 3. Reg. 10, 14. [8]) 3. Reg. 10, 11. et 2. Paral. 9. 10. [9]) L. 5. c. 4. n. 35.

Ideo mirum non est, scriptum esse [1]): »Ar»gentum in diebus illis«, (scilicet Salomonis) »pro nihilo reputabatur: siquidem naves regis »ibant in Tharsis«.

Praeterea de solius Ezechiae thesauro, dicitur [2]): »Fuit autem Ezechias dives et inclitus »valde, et thesauros sibi plurimos congregavit »argenti et auri, et lapidis pretiosi, aromatum, »et armorum universi generis, et vasorum magni »pretii; apothecasque frumenti, vini, et olei, et »praesepia omnium iumentorum, caulasque peco»rum, et urbes aedificavit sibi: habebat quippe »greges ovium et armentorum innumerabiles: eo »quod dedisset ei Dominus substantiam multam »nimis«.

His si addantur thesauri ab duodeviginti regibus Salomonis successoribus per annos trecentos quadraginta octo collecti, quamvis aliqui in altera urbis expugnatione rapti sint, non omnes tamen esse abreptos patet ex aliis locis Scripturae.

Consideremus nunc quam exosus esset ille miles nobis, si sciremus ob eius peccata omnes ditiones caesaris, et aedes sacras esse ab hostibus spoliatas, et ipsum cum filiis (quod avertat Deus) abductum in captivitatem, et cum omnibus principibus imperii. Cum id ob peccatum

[1]) 2. Paral. 9, 20. [2]) 2. Paral. 32, 27. sq.

veniale Ezechiae factum legamus, debemus vehementissime quodvis peccatum veniale detestari, et ob nostra timere, ne ob illa Deus has regiones puniat tot calamitatibus sterilitatum et bellorum, praesertim cum non simus tam Deo cari, uti fuit Ezechias, adeo sanctus, et adeo potens apud Deum. Sanctus quidem quia ausus est Deo dum aegrotaret, dicere [1]): »Obsecro Domine »memento quaeso, quomodo ambulaverim coram »te in veritate, et in corde perfecto, et quod »placitum est coram te fecerim«. Potens vero apud Deum quantopere fuerit, patet, quia monitus de morte proxima Dei nomine ab Isaia, unica prece ad Deum fusa id effecit, ut et Deus suum decretum mutarit, et adhuc quindecim annos vitae ei addiderit, et miraculo nunquam alias audito et viso, hos quindecim annos ei esse additos, confirmarit, et quidem tali miraculo, quod optione sibi ab Isaia data, ipse elegit [2]): »Ut so»lis substantia« (non sola eius umbra) »in horo»logio solari per decem lineas, indicantes horas »decem, retrocesserit motu reali, agnito ubique »terrarum«. Ita ut cum dies hebraeis in duodecim horas distributus esset, cum hoc miraculum coeptum est fieri, iam sol decem lineas procurrerat, totidemque horas confecerat: sed is Deo iubente pari motu regressus versus ortum,

[1]) 4. Reg. 20, 3. Cf. Is. 38, 3. sq. ubi repetuntur haec verba. [2]) 4. Reg. 20, 8. 10.

decem horas explevit, et rediens ad punctum, unde regredi coeperat, alias rursum decem horas confecit, id est omnino triginta horas: quibus si duae quae residuae erant, adiungantur, fient triginta duae, qui sunt fere tres dies artificiosi. Ita Salianus[1]) idque evidenter ostendit ex S. Scriptura[2]) et ex septuaginta interpretum editione et ex patribus. Cum ergo non simus tam coram Deo sancti, et tam potentes uti erat Ezechias, vitemus toto conatu peccata venialia, quae vidimus fuisse causam tam magnarum calamitatum, et timeamus, ne ob peccata venialia commissa a nobis, gravius, et nos, et alii puniantur. Ideoque divinam maiestatem placemus nostris peccatis offensam, et nova non addamus. Quod quidem omnibus cordi esse debet, sed magis perso»nis in statu vel dignitate aliqua spirituali et Ecclesiastica constitutis. Nam ut scribit S. Isidorus Pelusiota[3]): »Grave est eum, qui in»ter subditos censetur, peccare: gravius autem »eum, qui divino cultui consecratus est: longe »vero gravissimum, eum, qui pontificis dignita»tem nactus sit. Quanto enim honoribus alios »antecellunt, tanto quoque ipsorum peccatum, »etiamsi alioqui idem sit, gravius efficitur: quippe »quod non ad naturae, sed ad eius qui illud »perpetravit dignitatem perpendatur. Quid autem

[1]) A. M. 3322. [2]) Is. 38, 8. et Eccl. 48, 26. [3]) L. 3. ep. 15.

»magistrum et antistitem cum subdito comparo? »cum legistator« (Deus, vel Moyses) »pontificis »peccatum, totius populi peccato par esse dixe»rit, tantumque ab ipso sacrificium lege lata »exegerit, quantum si plebs universa deliquisset, »offerri praecepit [1]). Quod si aequale ac par vul»nus non esset, haud parem certe medicinam »constituisset«. Hinc S. Augustinus [2]): »Non »mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum, »non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, »sed ne minimis quidem«. Praesertim si ultra statum sacerdotalem etiam religiosus accedat pluribus votorum vinculis commendatus et ad maiorem perfectionem quaerendam, quam simplex sacerdos, sit obligatus. Ideo S. Caesarius [3]): »Si laicus homo et in saeculo constitu»tus, superbiam habet, peccatum est: monachus »vero si habuerit, sacrilegium est«. Non quidem proprie dictum sacrilegium hic voluit intelligi, sed hoc tantum significare voluit, quod S. Thomas docet [4]): »Peccatum tanto in aliqua per»sona est gravius, quanto maiorem obtinet lo»cum«. Nec tantum gravius, sed etiam turpius in religiosa persona. Nam ut ait S. Bernardus [5]): »Quo nitidiores manus, eo gravius quo»que minor in eis naevus offendit: et sicut pre-

[1]) Levit. 4, 4. et 13. [2]) In Psalm. 39. [3]) Hom. 18. [4]) II-a II-ae q. 100. a. 1. ad 7. [5]) De Divers. ser. 17. (De tripl. cust.) n. 1. med.

»tiosam vestem exigua quaevis macula turpius »decolorat, nobis« (id est religiosis, quorum erat abbas) »ad immunditiam minima quaelibet ino»bedientia sufficit; nec iam naevus est, sed gra»vis macula, si in actionibus nostris, vel mino»rum resideat negligentia mandatorum«. Hac proportione dixit S. Gregorius Nazianzenus [1]).

»Turpius ira malum, graviusque in Virgine »crimen«,

»Quam furor in reliquis«.

Quod ut religiosi melius apprehendant, praesertim tirones et in theologicis scholis nondum exculti, adferam plura hac de re diligenter consideranda, quippe a magnis sanctis et doctissimis tradita. S. Thomas [2]) quaerit, utrum religiosus peccans eodem genere peccati, gravius peccet quam secularis? respondet: »Si religiosus »ex infirmitate vel ignorantia committat aliquod »peccatum absque scandalo (puta in occulto) »quod non sit contra votum suae professionis, »eum levius peccare eodem genere peccati quam »peccet saecularis, sed gravius illum peccare »quam hunc si peccet ex contemptu: quia ex »hoc videtur esse magis ingratus divinis benefi»ciis, quibus est sublimatus ad statum perfectio»nis«. Quo loco non loquitur S. Thomas de

[1]) Carm. 2. praecepta ad Virg. metr. versio v. 14.
[2]) II-a II-ae q. 186. a. 10.

contemptu formali, qui, ut docent cum eo theologi, etiam natura sua leve peccatum et veniale, facit mortale, sed de materiali contemptu, qui reperitur uti et ingratitudo in omni peccato etiam veniali deliberate patrato. Cum enim quilibet religiosus et persona in clericali statu constituta, maiorem habeat Dei et rerum divinarum cognitionem, maiora beneficia a Deo perceperit et evecta sit ad altiorem statum, magis est ingrata, dum deliberate suum Dominum et benefactorem offendit, contemnendo veniales lapsus tanquam facile expiabiles per parvum dolorem, per aquae benedictae et aliorum sacramentalium usum. Quocirca merito S. Chrysostomus[1]) dixit: »Non omnia similiter in omni»bus iudicantur; ait enim[2]): Potentes potenter »tormenta patientur. Et[3]): Qui scit voluntatem »Domini sui, et non facit, plagis vapulabit mul»tis. Itaque maior scientia maioris fit poenae ma»teria. Propterea sacerdos eadem cum subdi»tis peccata committens, non eadem, sed »multo graviora patietur«. Et[4]): »Homo chri»stianus fortiter cadit in peccato propter du»as causas: aut propter magnitudinem pec»cati, aut propter altitudinem dignitatis: ut »puta, si sit clericus, aut continens vidua, aut

[1]) Hom. 77. ad pop. [2]) Sap. 6, 7. [3]) Luc. 12, 47. [4]) Auctor imperfecti in Matth. h. 40. descripta a Gratiano inter decreta c. homo christianus d. 40.

»monachus, aut virgo, id est qui se Deo tradi»dit«. Et S. Bernardus[1]): »Tanto«, inquit »nunc facilius offendimus Deum, quanto ea gra»vius« (quam initio conversionis nostrae) »quae »a nobis committuntur, iudicanda noverimus »esse, cum in psalmo quinquagesimo quarto le»gamus, quoniam si inimicus meus maledixisset »mihi, sustinuissem utique«[2]). Et B. Laurentius Iustinianus[3]) ponderans illud Apostoli, ubi abundavit gratia, superabundavit delictum: »Nam quo gratia«, inquit, »cumulatior et »status sublimior, eo casus est gravior, et da»mnabilior culpa. Quae vero excellentior est dignitas quam divino mancipatum esse obsequio, »et sacramentorum Christi esse ministrum? »Istis, ob vocationis privilegium, quae saecula»ribus levia sunt, gravissima deputantur«.

Ex hoc principio S. Thomas[4]) infert: »Si »quis post acceptam gratiam Novi Testamenti »peccaverit, maiori poena est dignus, tanquam »maioribus beneficiis ingratus, et auxilio sibi »dato non utens«. Et[5]): »docet peccatum post »legem a Moyse promulgatam, ceteris paribus »fuisse gravius et abundatius. Tum quia gravius »fuit peccatum post legis prohibitionem, tum »etiam quia concupiscentia crevit: magis enim

---

[1]) De Diver. ser. 27. (Contra pess. vitium ingrat.). [2]) 54, 13. [3]) De compunct. et planct. christ. perf. pag. 11. col. 2. t. 2. (edit. Venet. 1751). [4]) I-a II-ae q. 106. a. 2. ad 2. [5]) I-a II-ae q. 98. a. 1. ad 2.

»concupiscimus, quod nobis prohibetur [1]). Si adul»terium committatur a fideli et ab infideli, ce»teris paribus, gravius peccat fidelis quam infi»delis, tum propter notitiam veritatis ex fide, »tum etiam propter sacramenta fidei quibus est »imbutus, quibus, peccando contumeliam fecit«. Et [2]): »Gravius«, inquit, »peccat ceteris paribus, »clericus in sacris ordinibus constitutus, si ali»quid contrarium castitati agat, quam aliquis re»ligiosus, qui non habet ordinem sacrum: quam»vis laicus religiosus teneatur ad observantias »regulares, ad quas illi qui sunt in sacris ordi»nibus non tenentur«.

Dices, videtur esse peior conditio sanctorum quam scelestorum, siquidem illos ob sola venialia adeo punit in hac vita, hos vero ob multa mortalia raro punit in hac vita, sed prosperat in multis.

Respondeo, immo vero melior est conditio iustorum dum hic puniuntur, qui per poenas a Deo immissas vel permissas satisfaciunt pro peccatis, ne in altera vita acerbius puniantur, ut docet Concilium Tridentinum [3]). At non puniendo in hac vita scelestos, ad maiores eos poenas et quidem aeternas reservat. Quod si ante mortem reconcilientur Deo, multo graviores in purgatorio sustinebunt poenas pro culpis peccatorum

[1]) II-a II-ae q. 10. a. 3. ad 3. [2]) II-a II-ae q. 184. a. 8. fin. [3]) Ses. 14. can. 13.

ante mortem dimissis. Siquidem ut inter alios sanctos alibi a me citatos [1]) docet S. Augustinus [2]): »Contemnitur ille ignis«, (purgatorii) »sed gravior erit, quam quidquid homo pati po»test in hac vita«. Magnum ergo beneficium est, hic pati quam plurima, minora et leviora, ne in purgatorio patiamur maiora et graviora: praesertim, cum ut Bellarminus scripsit [3]): »Vix »ulli iusti homines, nisi ex magna misericordia »Dei, poenam purgatorii acerbissimam evadant, »ita, ut recta ex corpore ad coelum evolent«.

CAPUT X.

Alia peccata venialia gravissime a Deo punita, in hac vita, eorum gravitatem ostendunt.

Exemplum primum habemus in Cham filio Noe [4]), qui (ut scribunt aliqui docti scriptores et celebres) etsi solum peccatum veniale commiserit irrisionis repentinae et subitaneae, quasi in primo motu, dum vidit patrem ebrium nudatum, et visis eius verendis, ac fratribus hoc ipsum indicavit: propter hanc rem horrendam illam patris maledictionis sententiam incurrit,

---

[1]) In Opusc. de Medit. recteperag. cap. 10. [2]) In Psalm 37. [3]) L. de amiss. grat. c. 13. fin. [4]) Gen. 9. 21. sq.

a Deo infelicibus posterorum eius successibus comprobatam, uti observavit S. Ambrosius et Theodoretus.

Hoc eius peccatum S. Ephraem ait, »non »fuisse grande peccatum, sed levem irrisionem«. Quale peccatum fuerit, nescio, nec quicquam hac de re assero. Sed, si non grande, verum leve peccatum fuit, ut putat S. Ephraem et alii docti viri: hinc infero, quanto magis graviora peccata, etiam sola, venialia, per impudicum aspectum rerum vel actionum turpium et obscaenarum deliberate, praesertim longiuscule commissa divinam maiestatem illa spectantem offendunt, et Dei maledictionem merentur?

Secundum exemplum, habemus in uxore Lot[1]) quae cum deducentibus Angelis excessisset ex Sodoma, et audito strepitu ignis et clamore pereuntium, partim ex timore, ne et ipsam flamma corriperet, partim ex curiositate et dolore rerum suarum amissarum in illa nefanda civitate, putans esse rem levem respicere retro (non enim tunc sciebat angelos id vetuisse Dei nomine), quia respexit retro, conversa est in statuam salis. Hanc curiositatem et per se consideratam, et ob perturbationem animi ortam ex suae civitatis repentina pernicie, bene docti interpretes, (inter quos noster Cornelius[2]) est

[1]) Gen. 19, 26. [2]) In 3. Reg. 13. n. 17.

et Sanctius et Tirinus[1]) putant fuisse solum peccatum veniale, uti et Eusebius Nierembergius[2]).

Circa quod considerandum est:

I° quod D. Deus modo insolito illam curiositatem puniverit.

II° quod ad aliquot milia annorum illa statua salis aspectabilis permanserit in testimonium tam graviter puniti peccati venialis, ut eius agnoscatur gravitas. De duratione ad sua tempora huius statuae testatur oculatus testis Borchardus, et post eum Adrichomius in praeclaro opere quod edidit. Si haec venialis curiositas, videndi ignem horrendum, punientem civitatem libidinosam adeo D. Deo displicuit, ut uxorem Lot vita privaverit, et corpus eius, modo inusitato, in statuam salis converterit, quanto magis Domino Deo displicent curiositates oculorum aspicientium res et actiones, et personas ad libidinem provocantes? maxime in iis, qui experti sunt in se, aspectu talium rerum vel actionum, vel personarum se adductos ad peccata mortalia contraria castitati. Qua de re remitto lectorem ad legendum caput quartum et quartum decimum mei opusculi »de externa compositione hominis spiritualis et cura minimorum«.

Tertium exemplum, puniti peccati ve-

[1]) In Comm. Gen. ac 3. Reg. 13, 21. [2]) Doctr. Asc. l. 2. c. 73.

nialis a Domino Deo valde graviter, sed iuste est illud [1]) ubi expresso D. Dei iussu, Moysi cunctabundo (qua poena puniendus esset quidam misellus, qui visus est colligens ligna in die sabbati) imperatum est a Deo [2]), ut moreretur homo ille, et obrueretur lapidibus ab omni turba, extra castra. Hoc peccatum fuisse tantum veniale iudicavit S. Isidorus Pelusiota [3]) ubi illud appellat »exiguum peccatum« et Abbas Theodorus apud Cassianum [4]) ait fuisse unum »ex levioribus peccatis«. Quod alii quoque docti interpretes censent, tum quia erat in levi materia, tum quia coactus necessitate colligebat illa ligna. Inter hos interpretes est Bellarminus in quadam exhortatione quam habuit in collegio Romano dum esset eius collegii et meus rector, et reliquit hanc sententiam in illa exhortatione sua manuscripta, quam Romae pro me descripsi ante quadraginta annos. Merito ergo noster Cornelius hoc factum vocat »tantillum opus«, quia leve fuit. Sed iuste D. Deus illud punivit etsi leve, ut perfidis Iudaeis injiceret exactam observationem legum suarum recenter latarum, praesertim diei sabbati.

Quartum exemplum, sit peccatum illius prophetae, qui ut scribitur [5]) missus a. D. Deo de Iuda in Bethel, expedita Dei legatione con-

[1]) Num. 15, 32. sq. [2]) Num. 15, 35. [3]) Lib. 1. epist. 181. [4]) Coll. 6. c. 11. [5]) 3. Reg. 13. tot.

tra regem Ieroboam causa fuit, ut, quemadmodum praedixerat, scinderetur altare et effunderetur cinis de altari: quia tamen contra mandatum Domini sumpsit cibum in domo alterius prophetae, occisus est a leone in via; in quo facto haec consideranda sunt:

I° quia haec inobedientia prophetae non fuit peccatum mortale sed veniale. Ita sentiunt docti interpretes, inter quos est noster Cornelius a Lapide[1]) et Sanctius[2]) et Tirinus[3]) et Alvarez de Paz[4]) post Eucherium, Angelomum, Caietanum, Abulensem. Ideoque a S. Gregorio[5]) vocatur »culpa minima« et S. Augustinus[6]) ait »eum ob eam cul»pam non esse damnatum«.

II° quia ut notat Abbas Serenus apud Cassianum[7]) hanc inobedientiam non industria, nec vitio propriae voluntatis sed alterius circumventione contraxit.

III° Quia is qui eum ad hanc inobedientiam impulit, fuit propheta verus, ideoque appellatur in scriptura propheta[8]) et ipse[9]) vocat se »pro»phetam similem ei«. Et ideo pro vero Dei propheta habetur, et nominatur a S. Augustino[10]),

[1]) Comment. in Gen. 19, 26. [2]) In 3. Reg. 13. n. 17. [3]) In Comm. [4]) Tom 2. l. 1. par c. 11. [5]) Dial. lib. 4. c. 24. [6]) De cura pro mortuis c. 7. [7]) Col. 7. c. 26. [8]) 3. Reg. 13, 11; 20; 26; 29. [9]) Ibidem ver. 18. [10]) De cura pro mortuis c. 7.

B. Theodoreto [1]), Procopio, Abulense [2]), Serrario [3]), Torniello et Solliano [4]).

IV⁰ Quia haec comestio occisi a leone prophetae videtur fuisse facta ex studio obediendi D. Deo, postquam ab altero propheta sibi dici audivit [5]): »Angelus locutus est mihi in sermone »Domini, dicens; reduc eum tecum, in domum »tuam, ut comedat panem et bibat aquam«. Quod quia non audiverat a rege Ieroboam, se ad prandium simile invitante, respondit ad regem [6]): »Si dederis mihi mediam partem domus »tuae non veniam tecum, nec comedam panem, »neque bibam aquam in loco isto«, ergo signum est, ideo apud alterum prophetam comedisse, quia putabat mutatum esse a D. Deo prius decretum vetans comestionem in eo loco, altero propheta eum hac de re assecurante. »Sciebat »enim«, inquit Sanctius, »Deum aliquando »mutare aut moderari, quod prius praecepisset, »pro rerum oportunitate«.

V⁰ Quia secundus propheta deceptor non tantum propheta verus et Dei servus fuit, sed etiam, ut existimat B. Theodoretus et Procopius, bonae vitae: Unde nec laesus fuit a leone, qui priorem prophetam occiderat, cum ad videndum et sepeliendum occisi cadaver accessisset.

[1]) In 3. Reg. 4, 42. [2]) In 3. Reg. in c. 13. 4. Reg. q. 13. [3]) In hunc locum. [4]) A. M. 3061. n. 27. [5]) Loc. cit. ver. 18. [6]) Ibid. 8.

VI° Videtur illum excusasse necessitas; erat enim fatigatus ex itinere, cibique refocillatione egebat.

VII° Comedit sine irritamento gulae vilem cibum, quia ut dicitur [1]): »Comedit panem et bibit aquam«; qua phrasi, etsi quandoque in Scriptura significentur lauta edulia, pane pretiosiora, tamen nihil nos cogit, ut hoc loco intelligamus aliud cibi et potus genus, quam solum panem et aquam. Et hoc est conformius paupertati et sobrietati prophetae frugalis.

VIII° Non in taberna comedit, sed in loco honesto et sacro, scilicet in domo prophetae [2]).

IX° Propheta occisus a leone fuit, ut appareret, magna apud D. Deum gratia praeditus:

a) Quia exaruit manus regis quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se [3]).

b) Quia orante propheta, »reversa est manus »regis« (arida) »ad eum, et facta est sicut prius »fuerat«.

c) Quia occisus a leone propheta, non est dilaceratus more solito leonum, nec ipse nec asinus, nec in silvas abreptus [4]).

d) Quin potius custodivit leo cadaver occisi in medio itinere, nil veritus venatores aut praetereuntes.

---

[1]) 3. Reg. 13, 19. [2]) Ibid. ver. 19. [3]) Ibid. ver. 4. [4]) Ibid. ver. 24.

His tamen non obstantibus, severissime D. Deus hanc comestionem in eo punivit.

a) Quia morte repentina, quam omnes horrent, punitus est; ideo ecclesia petit in litaniis: »A subitanea et improvisa morte libera nos Do»mine«.

b) Quia terribili eum morte sustulit et violenta per leonem fortissimum bestiarum et maxime formidabilem.

c) Praenuntiavit ei hanc mortem per os eiusdem prophetae, qui eum deceperat, ad maiorem eius confusionem, quod ille magis sensit, si propheta deceptor, non fuit Dei propheta, sed ariolus, ut putat Iosephus.

d) Quia non in occulto loco sed in publica via eum occidit.

e) Fecit ut a transeuntibus per viam vulgaretur eius occisio, in illa civitate, in qua habebatur antea pro Dei propheta, et coram illo rege cuius aridam manum precibus statim sanaverat, quae diffamatio erat cum nota magna suae existimationis.

f) Etiam causa eius mortis scilicet inobedientia erga D. Deum propalata est a deceptore propheta.

g) Quamvis eius culpa minima fuerit in ipsa eius morte laxata, ut ait S. Gregorius[1]), tamen in poenam peccati, ut dicitur[2]) »non fuit

[1]) Dial. l. 4. c. 24. [2]) Loc. cit. ver. 22.

»sepultus in patria«: qua poena olim D. Deus gravia scelera puniebat; quod etiam ethnici horrebant, unde Ovidius libr. de Ponto scriptum reliquit:

»Mollius ossa cubant manibus tumulata suo»rum«.

Quintum exemplum, legitur [1]) de quodam homine, quia a quodam de filiis prophetarum rogatus, ut ipsum »percuteret«, (hoc est, vulneraret) quia id noluit facere, paulo post, a leone superveniente interfectus est, eo quod non percusserat eum, quod Dei nomine ille propheta rogaverat, ubi notandum est:

I° Hoc peccatum veniale tantum fuisse uti putant interpretes, et inter eos Sanctius [2]).

II° Non potuisse hanc omissionem vulnerationis esse peccatum grave, quia merito ille detrectavit hanc vulnerationem, sciens Dei praecepto manifeste per Moysen lato et promulgato, ac in libris S. Scripturae relicto ad perpetuam rei memoriam, hoc esse verbis disertis sub interminatione magnarum poenarum prohibitum. Ideo non putabat illum prophetam seu filium prophetae dignum esse fide, contrarium divinae legi per Moysen antea promulgatae suadentem, et nullo argumento demonstrantem, hanc suam petitionem vulnerationis esse ab ipso D. Deo inspiratam.

[1]) 3. Reg. 20, 35. sq. [2]) In 3. Reg. 13. n. 7.

III° Habuit ille a leone mactatus magnum argumentum non credendi illi prophetae, etsi dixisset nomine Iehovae, ut se percuteret, quia antea audiverat Dei prophetam ab altero (vero Dei propheta, sed cum mendacio) nomine Dei esse invitatum ad prandium, et ob illud esse a leone mactatum [1]). Cum autem prandium non sit per se res mala, nec speciem mali prae se ferens, uti prae se fert quaevis violenta percussio praesertim vulneratio faciei, quam ille filius prophetarum expetebat, merito dubitare potuit is, qui noluit prophetam percutere, ne mentiretur ille propheta, hanc sui percussionem Dei nomine postulans. Quia tamen non examinavit prophetam, an vere id D. Deus per ipsum postularet, ob hanc omissionem diligentiae in re tali quae speciem habebat alicuius inobedientiae erga praeceptum D. Dei, peccavit venialiter, ideoque statim divinitus punitus est: ut relinqueretur nobis necessaria doctrina, non facile omittendam executionem eorum, quae vel per se D. Deus nobis inspirat (si conforme sit doctrinae S. Ecclesiae) vel eius vicarii superiores, sed viri probati spiritus et doctrinae, dum nobis suadent aliqua salutaria pro bono animarum nostrarum vel vitanda vel facienda.

Sextum exemplum est [2]) in parvis pueris, qui cum transeuntem Elisaeum irrisissent di-

[1]) 3. Reg. 13. [2]) 4. Reg. 2, 23. sq.

centes: »Ascende calve, ascende calve: egressi »duo ursi de saltu, laceraverunt quadraginta »duos pueros«. In hoc exemplo ponderandum est:

I° Hanc irrisionem non fuisse peccatum mortale, tum quia erant parvi pueri vix habentes usum rationis, vel non scientes ignorantia invincibili et inculpabili illam irrisionem fore peccatum mortalem; tum quia non erat magna iniuria eum qui calvus erat, appellandi calvum, tum quia ex levitate puerili et sine malitia, et odio prophetae, et inconsideratione ac ex inadvertentia rationis quae solet esse in parvis pueris, id dixerunt. Inadvertentia autem rationis iuxta doctrinam certam theologorum facit, ut res gravis in se, et quae esset peccatum mortale, si fieret cum plena advertentia, non fiat mortale ob inadvertentiam.

II° Non per alias bestias Deus lacerari voluit illos petulantes pueros, sed per ursos, qui inter omnes bestias sunt aspectu magis formidabiles, praesertim pueris. Si ergo pueros parvos D. Deus ob tam parvam rem ita terribiliter punivit, quanto maiore poena digna sunt peccata venialia graviora linguae adultorum, et de industria ac cum plena deliberatione et advertentia commissa, murmurationum, detractionum, contentionum, rixarum, et his similia?

Septimum exemplum habemus[1]) ubi Ananias cum Saphitra uxore morte subitanea extincti sunt, eo quod non attulissent ad pedes Apostolorum totum id, quod vendito agro acceperant, uti promiserant et voverant. Hoc peccatum fuisse veniale, aliqui docti viri scribunt, et hoc exemplo utuntur ad ingenerandam magnam detestationem peccatorum etiam venialium. Eadem sententia colligitur ex S. Isidoro Pelusiota[2]) et Cassiano[3]) in qua Abbas Theodorus asserit eos »parum quid clam, de sua »substantia infidelitatis errore servasse«, et ait, esse »unam ex levioribus culpis«, et ipse Cassianus[4]) ex suo sensu iudicat »non magnam »quantitatem eos retinuisse, sed quippiam de sua »facultate«, quod ibi appellat »mendacium cupi»ditatis«. Mendacium autem in se, non est ex genere peccatorum mortalium. Ideo cum repentina morte subito extincti conciderint, nec tunc potuerint habere tempus dolendi de hoc peccato, qualecunque illud fuerit, S. Augustinus[5]) et S. Hieronymus[6]) et B. Petrus Damiani[7]) et Dionysius Carthus. et Salmeron[8]) et Baronius[9]) putant Ananiam et Saphiram non esse damnatos. Unde sequitur,

[1]) Act. 5, 1. sq. [2]) Lib. 1. ep. 181. [3]) Coll. 6. c. 11. [4]) Inst. l. 7. c. 25. [5]) Cont. Parmen c. 3. [6]) Epis. ad Demetriad. [7]) De contemp. saec. c. 3. [8]) In comm. [9]) Annal. tom 1. anno Christi 34.

solum peccatum veniale ob levitatem materiae illos commisisse; alioqui damnati fuissent, si peccatum mortale in illa retentione pretii, mortaliter peccassent, quia non habuerunt tempus contritione illud peccatum delendi vel confessione. Atque ita S. Augustinus[1]) ait, Ananiae et Saphirae peccatum »non per poenitentiam, sed per mortem corporalem extinctum »fuisse«.

Octavum exemplum terribile recenset Cassianus[2]) de abbate Paulo valde accepto Domine Deo, ut infra patebit: »Qui in tantam »cordis puritatem quietae solitudinis silentioque »profecerat, ut non dicam vultum femineum, sed »ne vestimenta quidem sexus illius conspectui »suo pateretur offerri. Nam quum eidem pergenti »ad cuiusdam senioris cellam una cum abbate »Archebio eiusdem solitudinis accola, casu mu»lier obviasset, offensus occursu eius, tanta fu»ga ad suum rursus monasterium (praetermisso, »quod arripuerat, piae visitationis officio) recur»rit, quanta nullus a facie leonis, vel immanis»simi draconis aufugeret, ita ut ne memorati »quidem abbatis Archebii revocantis eum cla»more ac precibus flecteretur, ut ad requiren»dum senem, quemadmodum proposuerant coe»pto itinere pertenderent. Quod licet zelo casti»tatis et puritatis ardore sit factum, tamen quia

[1]) De cura pro mortuis. [2]) Coll. 7. 26.

»non secundum scientiam praesumptum est, sed »observantia disciplinae iustaeque discrectionis »excessus est modus, (non enim solam familiari»tatem, quae vere est noxia, feminarum, sed »ipsam quoque figuram sexus illius credidit exe»crandam) tali confestim correptione percussus »est, ut eius universum corpus paralyseos vale»tudine solveretur, nullumque in eo membrum »penitus explere suum praevaleret officium. Si»quidem non solum pedes ac manus, sed etiam »linguae motus, quo elocutio vocis exprimitur, »ipsaeque aures ita auditus proprii amiserunt »sensum, ut in eo nihil amplius ex homine, »quam immobilis tantum atque insensibilis figura »remaneret. Eo autem redactus est, ut infirmi»tati eius nullo modo virorum diligentia deser»vire sufficeret, nisi sola ei muliebris sedulitas »ministrasset. Nam delato ad caenobium sancta»rum Virginum, cibus, ac potus, quem ne nutu »quidem petere poterat, femineo ingerebatur »obsequio, explendisque omnibus naturae neces»sitatibus, eadem illi diligentia per annos ferme »quatuor, id est, usque ad vitae suae terminum »serviebat. Qui cum tanta esset omnium mem»brorum debilitate constrictus, ut nulli in eo ar»tus vivacem motum ac sensibilem retentarent; »nihilominus tanta ex eo virtutum gratia proce»debat, ut cum de oleo, quod cadavere suo po»tius, quam corpore contigisset, ungerentur in»firmi, confestim cunctis valetudinibus curarentur,

»ita ut super hac eius valetudine etiam ipsis in»fidelibus evidenter aperteque claresceret, et de»bilitatem membrorum omnium dispensatione »atque amore Domini contributam, et sanitatum »gratiam pro testimonio puritatis ac manifesta»tione meritorum ei Spiritus Sancti virtute prae»stari«. Per valetudinem hic Cassianus intelligit infirmitatem seu invaletudinem, uti passim alibi hoc verbo utitur [1]) et in hoc sensu accipi testatur Gellius [2]), et Tertullianus [3]) »Piscinam«, inquit, »angelus interveniens commovebat [4]): ob»servabant, qui valetudinem querebantur«, hoc est, qui ob aliquam invaletudinem conquerebantur. In hoc exemplo ponderandum est:

I⁰ Quod haec fuga peccatum veniale, ut ait Alvarez de Paz [5]), Nigronius [6]), Massucius [7]) et alii.

II⁰ Ponderandum est, quod fuga eius, visa muliere, orta sit ex amore castitatis eximio. Et quia (forte) sentiebat in se tentationes carnis; quas sentiebat etiam Paulus Apostolus [8]), iudicio magnorum Sanctorum et interpretum et iudicio Dei Patris revelato S. Catharinae Senensi [9]), ideo putabat se debere fugere etiam transito-

[1]) Inst. lib. 11. c. 16. [2]) Noct. Att. lib. 11. cap. 9. [3]) De baptismo c. 5. [4]) Ioan. 5, 3. [5]) Tom 2. lib. 1. pars. 1. c. 11. [6]) Tr. 10. p. 2. n. 46. [7]) De convers. caelest. Lib. 5. c. 3. n. 7. [8]) 2. Cor. 12, 7. [9]) Dialog. cap. 145.

rium aspectum feminarum, ut securius impleret monitum Apostoli iubentis[1]): »Fugere fornica»tionem«. Ad huius enim fugam efficacem, necessaria est, ut ait Cassianus[2]) »remotio ab »oculis figurarum, ne quod aspectus occasione, »desiderium eis letale gignatur«, et ut apud eundem dixit abbas Serapion[3]): »Ad fugam »fornicationis necessario effigies et materia illi»ciens subtrahenda est«. Ideo daemon, ut ait S. Cyprianus[4]) »offert oculis formas illices, ut »visu destruat castitatem«. Id hostis noster hanc ob causam per feminarum facies oculis, immo soli imaginationi quandoque obiectas, facit, quia ut dixit S. Gregorius Nazianzenus[5]). »Oculos cor nefarios sequitur«. Ideo conqueritur S. Augustinus[6]): »Per quales formas ire so»lebant oculi mei, per tales imagines ibat et cor »meum«. Quocirca humano iudicio rem aestimando videtur prudenter fecisse hic abbas, dum oblata sibi specie feminae adventantis aufugit, memor moniti a Spiritu Sancti[7]): »Virginem ne „conspicias, ne forte scandalizeris in decore »illius«.

III° Ponderanda est in hoc casu gravitas poenae ob illam fugam sancto abbati statim di-

[1]) 1. Cor. 6, 18. [2]) Inst. lib. 6. c. 3. [3]) Coll. 5. c. 4. [4]) De zelo et livore. [5]) Carm. 29. adv. fem. sem. ornat. [6]) Confess. lib. 6. [7]) Eccli. 9, 5.

vinitus inflictae, quae apparet ex his circumstantiis:

a) Quia universum eius corpus paralysi affectum statim fuit, adeo gravi, ut nullum penitus in eo membrum suum explere posset officium.

b) Quod praeter membra, manuum, pedum et linguae, etiam sensus eius impediti fuerunt a suis actibus, et ipse auditus, qui maxime moribundis est necessarius, ut a confessario admoneri possint ad ostendendum aliquod signum doloris, pro obtinenda sacramentali absolutione.

c) Quod eo redactus fuerit, post hanc fugam aspectus feminei, »ut infirmitati eius nullo modo »virorum diligentia deservire suffecerit, nisi sola »ei muliebris sedulitas ministrasset, delato ad »caenobium sanctarum virginum«.

d) Quod »ne nutu quidem petere poterat ci»bum ac potum, qui illi femineo ingerebatur »obsequio«.

e) Id omnibus afflictionibus gravius est, et erat sancto abbati et casto et pudico: »Quod in »explendis omnibus naturae necessitatibus eadem »illi feminarum diligentia serviebat«.

f) Quod non brevi aliquo tempore, sed per quatuor ferme annos hoc feminarum pudibundo obsequio uti coactus sit sanctus abbas.

g) Quod ante mortem non habuit liberum diem quo posset se excusare, quam ob causam fugerit visa femina et suae fugae rationem red-

dere et alia praestare, quae post hunc casum praestitisset, si mors subsecuta non praecidisset illi excusationis remedium. Nam hoc feminarum multiplex obsequium usque ad eius vitae terminum protractum est.

h) Ponderandum est, tantam fuisse huius sancti abbatis sanctitatem et merita apud D. Deum, ut oleo, quo eius corpus ungebatur, ut liberaretur a paralysi, confestim omnes infirmi sanarentur qui eo ungebantur: »Quo evidenter »aperteque claresceret, sanitatum gratiam pro »testimonio puritatis, ac manifestatione meritorum eius, Spiritus S. virtuti ei praestari«.

Si ergo vir tam sanctus, adeo graviter et tamdiu fuit a D. Deo punitus propter excessum in amore pudicitiae et castitatis, quanto maiore poena digni sunt defectus contrarii castitati, uti est, curiositas deliberata in aspiciendis mulierum formosis faciebus vel puerorum imberbium, lectio rerum obscaenarum, aspectus de industria fixus in nudas feminarum imagines et his similia, etiamsi non attingant gravitatem peccati mortalis.

Nonum exemplum, idem Cassianus refert [1]) de Abbate Moyse, qui ob prolatum »paulo durius sermonem unum, in quadam »disputatione, contra abbatem Macarium, tam »diro confestim est traditus daemoni, ut hu-

[1]) In eadem Coll. 7. c. 27.

»manas egestiones ori suo ab eo suppletus in»gereret«.

Hic ponderandum est:

I⁰ Abbatem Moysen fuisse virum sanctum, et autorem primae et secundae collationis scriptae a Cassiano qui eum vocat [1]): »Singularem et in»comparabilem virum«, et ut ait Alardus Gazaeus insignis Commentator Cassiani [2]), fuit »sanctitate conspicuus, uti duo alii Moyses Ana»choretae«.

II⁰ Ponderandum est, hunc duriusculum sermonem non fuisse peccatum mortale sed veniale, uti bene dicunt Iulius Nigronius [3]) et Alvarez de Paz [4]) et Massutius [5]).

III⁰ Ponderandum est genus flagellationis Divinae, quo D. Deus hunc servum suum correxit duobus modis:

a) tradendo eum daemoni, quae poena est gravissima, tum quia pro peccatis valde enormibus mortalibus olim infligebatur cum excommunicatione [6]), tum quia magna est hominis confusio, esse energumenum. Ideo quidam anachoreta sanctus et virtute celebris, qui daemones ex aliorum corporibus eiciebat, a D. Deo impetraverat ad confusionem sui, ut permissa in se per quin-

---

[1]) Coll. 7. c. 27. [2]) Ad Cass. lib. 10. Inst. c. 25. [3]) Tract. 10. p. 2. n. 46. [4]) Tom 2. lib. 1. p. 1. cap. 11. [5]) De caelest. conv. lib. 5. cap. 3. n. 7. [6]) Ab apostolo Paulo 1. Cor. 5, 5.

que menses diabolo potestate similis illis fieret, quos ipse curaverat, ad evitandum superbiae aut vanae gloriae periculum.

b) Poena a D. Deo immissa fuit, ut humana excrementa ori suo ipsemet ingereret et ea voraret. Si ergo D. Deus tam levem culpam viri sancti fere ex primo motu (qui solet in disputationibus exurgere) commissam, adeo modis vehementem pudorem incutientibus punivit, quantas merentur poenas graviora peccata oris deliberate commissa, detractiones, murmurationes, convicia etsi sint sola venialia?

CAPUT XI.

Gravissimae purgatoriae poenae, quibus Deus post mortem peccata venialia iustorum, in hac vita non plene expiata, punit, indicant gravitatem peccatorum venialium, etiam quandoque valde levium.

Etsi graves fuerint poenae supra recensitae, quibus castigavit D. Deus peccata venialia viventium, multo tamen sunt graviores in purgatorio, quas patiuntur multae iustorum animae, et diu, ob sola peccata venialia quandoque iudicio hominum levissima, et quae videbantur vix speciem peccati habuisse, in hac vita non plene expiata. Siquidem ut ait S. Augustinus[1]) et

[1]) In Psalm 37.

S. Anselmus[1]) et S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus[2]): »Gravior est ignis purgatorii, »quam quicquid homo potest pati in hac vita«. Quod etiam B. Ioanna de cruce[3]) dicebat suis monialibus Ordinis S. Francisci post multas visiones et revelationes habitas de acerbitate poenarum purgatorii. Et S. Caesarius[4]): »Ille purgatorius ignis durior erit, quam quod »potest poenarum in hoc seculo aut videri, aut »cogitari, aut sentiri«. Et B. Beda[5]): Purgatorii correctionem«, ait, »esse graviorem, quam »quicquid unquam passi sunt latrones, vel sancti martyres, vel quicquid gravius homo possit ex»cogitare«. Immo S. Thomas[6]: »Poenam minimam purgatorii«, docet, »excedere maximam »poenam huius vitae«. Et B. Maria Magdalena Pazzia[7]) existens in raptu dixit: »Omnia »tormenta quae passi sunt sancti martyres, fu»isse tanquam amoenum hortum, respectu eorum »quae infliguntur in purgatorio«. Mirum ergo non est, quod ipse Christus Dominus S. Brigittae[8]) dixerit de quodam ad purgatorium ituro: »Sic in purgatorio amarum habebit anima »eius supplicium, quod nullus mortalis est, qui »possit illud cogitare«. Et subdit Christus Do-

[1]) In 1. Cor. 3. [2]) Prognost. l. 2. c. 19. [3]) Cap. 14. vitae. [4]) Ad pop. hom. 8. [5]) In Psalm 27. [6]) 4. d. 21. q 1. art. 1. q. 3. [7]) Vita cap. 13. §. 2. p. 169. [8]) Revel. l. 6. cap. 2.

minus: »Quid ergo patientur illi, qui omnem vo»luntatem suam in mundo habent, et nullis tri»bulationibus fatigantur«?

Consideremus nunc ea quae a gravibus historicis scripta sunt de variis purgatorii poenis, quibus affectae sunt multae animae iustorum, ob peccata venialia quandoque valde levia, pro quibus in hac vita non plene satisfecerunt. Adferam exempla non servato temporum quibus contigerunt ordine, sed prout inventa multis annis notata in meis adversariis, seu collectaneis.

De Paschasio Diacono scribit S. Gregorius [1]) viro mirae sanctitatis, cuius defuncti dalmaticam cum daemoniacus tetigit, statim sanatus est, visum a Germano Episcopo Capuano purgatorii poenis addictum eam solum ob causam, quod in ea contentione, quae inardescente zelo fidelium, inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad pontificatus ordinem Laurentium elegit, et omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque praeferendo, quem episcoporum iudicio, praeesse sibi ecclesia refutavit. Hoc non ita mirum, quia duravit ad mortem in hoc iudicio pertinaciter.

Magis mirum, quod S. Udalricus Episcopus Augustanus divinitus agnovit multo ante

[1]) Dial. l. 4. cap. 40.

mortem, se hoc solo nomine ignem purgatorii transire debere, quod Adalberonem nepotem suum, sibi adhuc viventi successorem in episcopatu constituit, qui tamen ei non successit. Nam prius Udalrico est mortuus, et post hanc designationem S. Udalricus sacrificia D. Deo obtulit, multa opera bona fecit, procul dubio id sciens, conatus est se purgare ab hac poenae obligatione. Surius [1]), Stapletonus [2]), Skarga [3]). tantum, dicunt, quia optabat hac electione aliquem honorem suo nepoti accedere. Pondera hoc et confer cum gravioribus nostris peccatis.

Gotschalcus auctor gravis, inquit Fr. Elias a S. Theresia [4]), narrat de cellario quodam monasterii S. Rufi prope Valentiam qui dum ob nimias occupationes rerum externatum pro gratiarum actione a prandio, loco Psalmi »Miserere mei Deus«: solitus esset recitare: »Laudate Dominum omnes gentes«: qui tamen alias erat devotissimus, post mortem in officina sua cellaria terribilem persaepe excitavit tumultum, donec a viro sancto interrogatus, cur sic tumultuaretur, et quid eum torqueret, respondit: quod tantis exerceretur suppliciis, ut ex iis procul dubio ad desperationem adigeretur, si forent perpetua. Aiebat autem se haec ideo perpeti,

[1]) Tom 4. p. 90. [2]) Prompt. mor. dom. II-a post Epiph. [3]) Iul. 7. [4]) In Legat. triumph. Eccl. ad milit. l. 1. c. 27. n. 13.

quia loco »Miserere«, dixisset, »Laudate«. Unde et rogavit, ut Fratres omnes pro se per annum, psalmum »Miserere« praedictum quotidie recitarent. Quod ubi factum, post annum etiam purgatorio fuit exemptus.

Scribit Gherardus de Fracheto in vitis FF. praedicatorum probatis ab Humberto magistro generali dicti ordinis in comitiis Parisiis celebratis anno millesimo ducentesimo sexagesimo sexto (quod narrat fusius Crombecius [1]), quendam religiosum dicti ordinis (cuius virtus et pietas in illo ordine usque ad mortem probata erat) alteri socio, cum quo simul religionem ingressus fuerat, post mortem apparuisse sub tristi specie; quaerenti vero, quemadmodum se haberet, »Non optime«, ait, causamque sciscitanti, »patior«, inquit, »non aliam ob causam, »quam quod cum novi socci de more darentur »fratribus, acceptis novis, veteres occultabam, »contra regulae statutum, puritatemque pauper»tatis religiosae, et simul dixit, eos etiamnum »latere ad pedes lecticae, rogare se, ut eos ad superiorem deferat, isque reatum in capitulo expositum absolvat, ac orationibus sacrificiisque expiatum faciat. Factum est ut petiit, laetissimus deinde apparuit socio, magno splendore coruscans, et commendata illi in religione con»stantia, cum tribus religiosorum cohortibus cae-

[1]) De studio perfect. l. 1. c. 29.

»lum petentibus, abscessit«. Sane socci isti non fuerunt ab illo malitiose absconditi, nec enim eos ita in loco patenti et pervio (scilicet ad pedes lecticae) reliquisset: et tamen, etsi probus fuit, ac virtute praeditus religiosus, ob hanc solam noxam in purgatorio detentus est, nec ab eo liberari potuit prius, quam et publica facti denunciatio coram toto monasterio, idque in capitulo, poenarum loco, et absolutio Superioris et Missae sacrificia ac preces praecessissent. Quid fieri debuisset, si bonus ille religiosus maioribus culpis contaminatus fuisset, quales sunt: perniciosa mendacia, detractiones, murmurationes, iudicia temeraria, rerum spiritualium neglectus, et culpae contra paupertatem graviores?

Simile quiddam S. Antoninus [1]) refert, religiosum quendam post mortem alteri amico apparuisse, illique crura igne concremata ostendisse, rationemque illius poenae reddidisse, quia veteres caligas sibi reservaverat, et in communi custodia non reposuerat. Quod ne fiat, cavent bonae religiones, et de Carthusianis scribit Navarrus [2]).

S. Catharina Senensis [3]) vidit suam sororem in gravissimis purgatorii poenis, quod ipsam iussisset se vestire aliquantum ornate et composite, etsi id fecit S. Catharina invita, et

[1]) In 4. p. tit. 14. c. 10. §. 5. [2]) Cons. 75. de regularibus n. 47. [3]) L. 1. c. 7.

sine ulla cogitatione vanitatis, aut desiderio ut reputaretur pulchra: et diutius poenas illas sensisset, ni eam suis orationibus Catharina liberasset.

Scribit Caesarius et ex eo P. Martinus de Roa[1]), monialem cisterciensem nomine Gertrudem post mortem chorum ingressam assedisse cuidam moniali amicae magnae suae: quae cum esset turbata valde hoc spectro et interrogasset, quid vellet in hoc loco, respondit: »Eum »sibi datum pro purgatorio in poenam colloquio»rum tecum hic habitorum, memineris ergo iu»vare me, ut finem accipiant poenae meae«. Duravit haec visio monialis mortuae per multos dies, donec oblatis pro ea sacrificiis et precibus, apparere desiit.

Et in libro virorum illustrium cistercien. Ordin. scribitur, abbatem quendam a successore suo auditum gementem in quodam fonte, causam que rogatum, dixisse, cruciari se eo in loco poenis purgatorii, »quod eum successorem etsi di»gnum eo officio reliquisset, non tam habens »respectum ad hoc, ut bene monasterio provi»deret, quam ut illum, quippe suum nepotem »bene post mortem accomodaret et commode«.

Scribit Lisyardus in vita S. Arnulphi Episc. Suessionen. cum Arnulphus in monasterio serviret sancto cuidam monacho volun-

[1]) De purgatorio c. 4.

tarie incluso, ab eoque rogatus, lactis ut modicum daret loco medicinae, ille vero lac non habens, panem quem solebat ex officio pauperibus distribuere, vendidit, et lac emptum aegroto dedit. Aegrotus ille post mortem apparuit Arnulpho, et interroganti, quomodo valeret? respondit: »Iam bene; parum passus sum pro illo lacte »in quo decepisti pauperes: sed nunc valde bene »habeo, et disparuit« [1]).

Soror S. Damiani ob delectationem nimiam quam habuit in cantilena ex cubiculo in choreis audita, duodeviginti diebus punita est in purgatorio, uti cuidam Sancto revelavit ipsa, ut scribit Florent. Harthemius carthus. [2]).

Vincentius Belluacensis [3]) refert, Durannum ex abbate episcopum Tolosanum, virum caeteroquin pium et diligentem, idcirco in purgatoriis poenis aliquandiu detentum, quod saepius verba risum moventia incaute usurpasset, indeque tandem septem fratrum monachorum silentio ad septem dies continuato, fuisse ereptum.

Maritus S. Birgittae poenis purgatorii addictus, quinque causas sui purgatorii attulit. »Vivens«, inquit, »quinque modis excessi, de »quibus in extremis non satis poenitui. Primum »est, quod in illo puero deliro quem novisti,

[1]) Surius 18. vel 15. Augusti. [2]) Instit. Christ. l. 2. c. 25. [3]) Spec. histor. l. 26. c. 5.

»excessi, nimis ineptiis eius applaudendo et »congaudendo, et in deliramentis eius delectando. »Secundum est, quod non satisfeci viduae de »bonis ab ea emptis ante mortem, et hoc con»tigit propter negligentiam meam« (assignarat tamen iustos iudices ut solverent debita eius, ut ibidem dixit infra) »ideo, ut me verum dicere »probes, cras veniet ad te, cui redde quod pe»tit, quia non petit nisi petenda. Tertium est, »quod promisi in levitate mentis meae uni viro, »astare sibi in omnibus difficultatibus suis, ex »qua promissione ille animosior factus, contra »regem et legem se erexit. Quartum est, quod »in hastiludiis, et mundi vanitatibus, plus propter »ostentationem me exercui, quam propter ali»quam utilitatem. Quintum est: in exilio cu»iusdam nobilis nimis pertinax fui, et inexora»bilis, et licet erat dignus iudicio, ego tamen »minus misericors fui in eum quam debebam«[1]). Pondera singula. Pro prima causa amplificanda a minori ad maius valet illud quod S. Augustinus ait[2]) de cantu psalmorum loquens: »Cum mihi accidit ut me amplius cantus« (ecclesiasticus) »quam res quae canitur moveat, poe»naliter me peccare confiteor«.

P. Roa[3]) narrat., Romanum dominicanum, condiscipulum olim S. Thomae Parisiis, post

[1]) Revel. Extrav. S. Birgittae c. 56. [2]) Confes. l. 10. c. 33. [3]) Tract. hisp. de purgatorio c. 23.

mortem apparuisse Neapoli S. Thomae se quindecim diebus poenas purgatorii sustinuisse, ob testamentum sibi ab episcopo Parisiensi commendatum, non cum tanta diligentia, cum quanta poterat executioni mandatum, etsi vere erat mandatum executioni.

Idem ibidem scribit. franciscanum in insulis Canariis, in conventu Conceptionis Beatissimae Virginis mortuum, Ioannem de Via, virtute eximia praeditum, apparuisse novitio devoto valde Ascensio, aliquot diebus post mortem, magno splendore circumdatum, et rogatum quid vellet, dixisse, se esse e praedestinatis unum, sed ad gloriam non admitti, eo quod dum viveret, quoddam officium defunctorum negligenter recitasset, ideo petere, ut pro eo a fratribus diceretur. Dictum est iussu Guardiani. Deinde apparuit vestitus novis splendoribus, comitantibus S. Francisco et S. Bernardino, et gratias egit pro illa diligentia novitio.

A. S. Gertrude quandam animam visam esse scribitur[1]), die sequenti post obitum vel exitum suum mirabiliter perornatam, ut decebat, quia per omnem vitam suam innocentissimae simplicitatis fuerat, et ad hoc etiam valde devota, et in rigore ordinis studiosa, illa tamen macula adhuc in ea purganda intelligebatur, quod scilicet in infirmitate habuit aliqua, quibus non indiguit,

[1]) Insinuat. divinae pietatis l. 5. c. 12. post. med.

in quibus delectabatur, videlicet, xenia et consolationes amicorum: sed orante S. Gertrude liberata fuit ab hoc impedimento.

Quando B. Veronicae Virgini Augustinianae[1]) fuerunt ab angelo monstrata tormenta in purgatorio, praesertim quae patiebantur personae religiosae utriusque sexus, ob levem etiam inobedientiam in superiores, ac segnitiem in exequendis divinis, et ob inane murmur quarundam sanctimonialium in suum confessorem, postquam ab illa visione ad corporea officia rediit et sensus vehementis tristitiae, timidi doloris, ingentisque horroris signa dedit manuum percussionibus, motu capitis voceque flebili, dixit: »Heu, heu, quas hodie poenas, »quaeve tormentorum genera vidi ab iisdem tor»toribus qui sunt in inferno inflicta, eodemque »igne inferni«. Haec cum diceret, inter verba solo dilabitur Veronica, febris vehemens illam arripuit, signaque toto corpore virgineo, igne veluti micantia, magnitudinisque instar palmae manus apparuerunt. Ita sunt magna et inexcogitabilia tormentorum genera in purgatoriis ignibus.

S. Francisca Romana[2]) vidit sacerdotem quendam Romae honestae alias vitae acerbe torqueri igne purgatorii, quia erat gulosus, et

[1]) Bolland. vit. l. 3. c. 10. [2]) Vitae l. 5. c. 15.

delectabatur in comedendo et bibendo, volendo exquisita fercula et condimenta.

Mortua Columba moniali Carmelitana calceata Florentiae, vidit animam eius B. Magdalena de Pazzis extra purgatorium et extra coelum ac infernum, per quinque horas visione Dei carentem, eo quod cum dono praesentiae Dei esset praedita, ob proprium amorem interdum eam omitteret, ob molestiam quam volens percipiebat, dum aliquam videret sui causa vel occasione afflictam. Utriusque fuit confessarius P. Virgilius Ceparius tunc rector Florentinus a quo id audivi [1]); contigit hoc eius tempore dum esset rector Florentinus. Eadem B. Maria Magdalena de Pazzis (ut scripsit Vincentius Puccinus in eius vita [2]) Romae impressa, approbata a Nicolao Rodulphio magistro Sacri Palatii, et dedicata meo tempore Urbano VIII. ab eius neptibus monialibus Carmelitanis, ut opinor, adhuc Romae in novo monasterio viventibus, vidit quandem monialem Carmelitanam per sexdecim dies fuisse in purgatorio, antequam iret ad caelum, idque propter tres causas:

I⁰ »Quia diebus festis, uti erat ingeniosa, ma»nibus laborabat« (non servilia opera, sed curiosa, ut ego interpretor) »sine necessitate«.

II⁰ »Quia ut mater antiqua, ob respectus

[1]) Anno 1626. 28. Ian. [2]) Cap. 64. p. 161.

›humanos omiserat monere superiorem et con›fessarium, id quod ei D. Deus inspirabat pro »bono statu monasterii«.

III° »Quia nimium amabat suos parentes«.

Tres quoque eius virtutes ei revelatae fuerunt, ob quas fuerunt abbreviatae poenae illae.

I° »Sollicita cura quam semper habuit con›servandi puritatem et simplicitatem suae reli›gionis«.

II° »Ob magnam caritatem, quam omnibus »monialibus exhibebat«.

III° »Quia semper omnia in bonam partem ›trahebat, et bene interpretabatur«. Eadem vidit aliam monialem in purgatorio »pallio igneo »undique cinctam, et quotidie per horam, in tem›plo adorantem SS. Sacramentum, eo quod saepe »omisisset communionem ex negligentia«.

Scribit Dermicius Thadaei[1]), minoritam ex condicto apparuisse Dominicano ignem expiatorium circum gestantem, et dubitante eo, manum mensae ligneae crassae admovisse eamque satis alte combussisse. Causa autem huius expiationis fuit, quia in commissa dispensatione negligens, ex aequo non ita distribuebat, quin plus minusve nunc huic nunc illi non tam de industria quam negligentia apponeret, eamque incuriam poenitentia non delesset.

[1]) In Nitela Franciscanae religionis anno 1219 p. 3. fin

Scribit Caesarius[1]) audivisse se saepius ex ore Einolphi viri religiosi ordinis Templariorum, se post mortem a diabolo accusatum coram D. Deo, eo quod fratri germano in pueritia obolum furaretur, nec ob id egisset poenitentiam, quam ob rem D. Dei iussu in puteum igneum animam eius fuisse proiectam, in quo tantam poenam pertulit, ut postea verbis exprimere nequiret, post horam vero ab angelo a quo missa fuerat, extractam esse, et corpori tandem restitutam. Quo facto ordinem Templariorum intrasse tum amore gloriae tum timore poenae.

Refert Philippus de Berlaymont[2]) puerum novem annorum ob non solutos novem hallenses quos mutuo acceperat a familia, in purgatorii maximis poenis fuisse, de quarum acerbitate interrogatus a matre cui apparuerat, respondit: »Si omnes carbones quos carbonarii »in universo mundo a tempore nativitatis usque »hodie arserunt, in uno cumulo arderent, et tu »dilecta mater mea in medio cumulo stares et »arderes, non tantas poenas sustineres, sicut iam »in purgatorio sustineo, etc. Sed soluto debito, »coelum petiit, matri apparuit gratias agens«.

S. Gregorius Turonensis[3]) scribit, S. Martinum episcopum Turonensem apud Arthovam arvernensem vicum, visitato sepulcro

[1]) Lib. 12. c. 57. [2]) Ex paradiso puerorum et speculo exempl. dist. 9. §. 101. [3]) De gloria confes. c. 5.

Vitalinae religiosae ad eam conversum dixisse: »Dic sanctissima virgo, si iam Domini »praesentiam meruisti? Quae ait: Restitit mihi »una causa, quae facilis in saeculo videbatur. »Sexta enim feria qua Redemptorem mundi pas»sum novimus, aquis ablui caput. Recedens au»tem B. Confessor a tumulo Virginis ait suis: »Vae nobis qui in hoc mundo versamur, si haec »virgo Christi sacrata hinc offendiculum meruit, »quod sexta feria abluit caput, quid nos facie»mus quos quotidie fallax saeculum peccare per»suadet«. Deinde cum abscessisset a sepulcro, et non multo post ad illud rediisset, »accedens »ad tumulum virginis ait: Gaude nunc Vitalina »soror beatissima, post triduum enim maiestati »Dominicae praesentaberis, et discessit ab eo »loco. Post haec multis per visum virgo ostensa »est, et beneficia petita praebuit, et diem obitus »sui in quo commemoratio eius celebraretur edi»xit: quod non aliter sentiendum est, nisi quia »B. antistitis obtentu, Dominicae maiestatis prae»sentiam meruisset, ut haec deinceps ageret«. Haec S. Gregorius.

Vincentius Iustinianus Antist. in vita B. Ludovici Bertrandi[1]) narrat, »Be»ato Bertrando post mortem apparuisse fratrem »Clementem Benet, et dixisse, se in purgatorio »detineri ob aliquos suos defectus, etsi valde

[1]) Cap. 5.

»parvos, et speciatim ob gestatum brevi tem»pore indusium ex lino, non ex lana, contra or»dinis constitutiones« (quae tamen ad nullum peccatum Dominicanos obligant) »et orasse, id »ut indicaret priori, et is fratrum orationibus »eum commendaret. Fecit id, et post preces fu›sas pro anima illius, sexto vel octavo deinceps »die, quaedam persona simplex B. Bertrando in »confessione aperuit, se illa nocte vidisse terram ›aperiri, et inde prodire animam Fr. Clementis »instar stellae, et coelum per aërem petere«.

Idem narrat [1]), per octo annos visum esse saepe a B. Bertrando patrem suum in gravissimis purgatorii poenis, cuius rei causam rogatus dixit: »sibi videri ideo tam diu eum ibi deten»tum, quia fuit servus cuiusdam magni domini »in Hispania«.

P. Iacobo Rem Ingolstadii quidam e nostris apparuit sordida forma, et dixit, se esse in purgatorio, causam rogatus, quia, inquit, saepe sine facultate disciplinas feci [2]). Ob disciplinas neglectas Hugo Victorinus in purgatorio poenas luit: »Quia«, inquit, »dum viverem acci»pere renui disciplinam (scilicet secreto, vel in »Capitulo cum aliis, pro quotidianis excessibus), »vix ullus daemonum in inferno remansit, qui »non mihi ictum validum dederit, ad purgato»rium transeunti«. Ita scribit Thomas Canti-

[1]) Cap. 3. [2]) Ann. Coll. Ingolstad. ann. 1618.

pratanus[1]) de viro adeo celebri doctrina et pietate.

In revelat. S. Brigittae[2]) a Beatissima Virgine, sanctae huic revelatum fuit, principem quendam purgatorii poenis fuisse addictum inter alias causas, quia tripliciter in gula peccavit:

I⁰ »Laute et ultra mensuram comedendo et »bibendo«.

II⁰ Propter superbiam et ostentationem plura »fercula praeparando«.

III⁰ »Nimis diu in mensa sedendo, et opus »Dei praetermittendo«.

Et[3]) quidam S. Eremita fuit in purgatorio desiderii, ubi nulla poena est nisi solum desiderium perveniendi ad Deum, quia non habuit in morte perfectum desiderium perveniendi ad praesentiam Dei et eius visionem, tamen antequam corpus eius sepultum fuit, introductus est in gloriam.

Et[4]) quidam Papa propter tres causas fuit ad purgatorium missus:

I⁰ »Quod fecit quandam inobedientiam contra »Deum et conscientiam suam de quo contritio»nem habuit et remorsum conscientiae suae«.

II⁰ »Quod dispensabat in aliquibus cum qui»busdam propter carnalem amorem sequendo vo»luntatem suam«.

[1]) Apum lib. 2. c. 16. §. 5. [2]) Lib. 6. c. 10. [3]) Ibid. l. 4. c. 127. [4]) Ibid. c. 144.

III° »Quod dissimulabat aliqua ne offenderet »quos diligebat, quae corrigere potuisset«.

Cum P. Ioannes Ricus, rector collegii Maioricensis concionatus esset Maioricae lingua castellana, quae tunc ibi erat peregrina, etsi ab aliquibus intelligeretur, non tamen a vulgo, et bene praedicasset: dixit Alphonso Rodriquez (tunc eius socio) Dominus, eam solam ob causam patrem illum luiturum poenas purgatorii, uti scriptum [1]) legi, et quamvis P. Ricus esset vir sanctus. Quem post mortem vidit in coelo Alphonsus ex capite et facie varios radios splendoris emittentem in signum sanctitatis. Nunquam postea in concionibus suis Maioricae dum esset, pater ille lingua castellana usus est, postquam hoc audivit ab Alphonso, sed lingua quam Maioricenses omnes itelligebant, illius provinciae propria.

S. Odo Cluniacensis Abbas vitam scribens S. Geraldi Comitis[2]), narrat, eum caecitate percussum ad tempus, quia puellam oculo lasciviore intuitus erat. Accidit quoque simile quid Gebhardo monacho, qui cum manus adeo morbo impeditas haberet, ut eas ad os admovere non posset, a Guilelmo Abbate viro sancto per miraculum persanatus est. Post sanitatem receptam, fratris uxorem ad dextrae osculum gratulabundam admisit. Illico morbus idem recurrit in poe-

[1]) Vita Alphonsi M. 50. l. 3. c. 2. [2]) Vita l. 1. c. 10.

nam. Agnovit Guilelmus lapsum, et iterum Gebhardi manum restituit sanitati, haec praefatus: »Haec est poena temeritatis tuae, frater, qui »manum Deo consecratam, ipsiusque miseratione »sanatam, gloria tactus inani, faeminae prae»buisti osculandam«.

Ex cronico Hirsaugensi et Ioanne Trithemio (ut refertur ab Antonio Daurotio in floribus exemplorum), Mattheus Raderus ex Patrico Graecorum nondum edito exscripsit, quod summatim refero. Monachus Edessenus magnam vim auri reperit in via, quam frater pariter anachoreta neglectam saltu praeterierat. Accepit atque impendit in aedificationem monasterii, nosocomii, valetudinarii, atque in pauperes, ne obolo quidem sibi retento. Visus est sibi per haec prudentior fratre, qui aurum reliquit in via, existimans illum simpliciorem. Angelus post haec occurrit illi; exprobrat arrogantiam, qua se fratri praetulerat: denuntiat fore, ut nunquam fratrem videat: iubet in columnam ascendere, ibique stare ac pugnare cum elementis ac daemonibus, donec luerit culpam. Perstitit ibi patienter annis undequinquaginta, diuturna et acerba poena, pro culpa cogitationis, quam cum noxa compositam, theologi perlevem esse definient. Manu sua ipse Christus traditur aliquando proprias poenas a suis electis et dilectis exegisse in hunc finem.

Legimus in vita B. Elzearii comitis, eum

Romae aegrotasse, victo imperatore a rege Neapolitano, sub quo poene coactus, quia dominus eius, militaverat. Dolere caepit, se illi bello interfuisse; atque in ea cogitatione defixus, audivit auribus corporis Christum sibi dicentem: Scias Elzeari, in hoc bello, cui armatus affuisti, expositum te fuisse periculo amittendi gratiam meam: sed quia eius te poenitet, volo te flagellare. Tum ille inclinavit se, coepitque dicere Psalmum quinquagesimum. Ad singulos autem versus Christus eum ter. ut ipse solitus erat, in dorso fortiter cecidit. Deinde somno correptus, febri recedente, perfecte curatus est, et ineffabili animi consolatione perfusus. Ob eandem causam B. Aloysius Bertrandus ordinis praedicatorum, cum esset novitiorum instructor, caritatis plenus, levibus eorum erratis non leves disciplinas imponebat, ne pro illis in purgatorio poenas acerbiores solvere cogerentur.

Addam alia non minus certa ex Zacharia Boverio, accurato scriptore historiae PP. Capucinorum. Is scribit[1]) anno domini 1586 fratrem Constantinum a Salvatore, virum alioqui valde sanctum, et gratiis gratis datis in vita et post mortem ornatum, nonnullis post obitum diebus apparuisse patri cuidam, a quo cum de suo in altera vita statu interrogatus fuisset, respondit: »Heu heu frater, quam districta Domini iudicia

[1]) Tom 2. p. 204. n. 60.

»sunt, atque ab hominum sensu ac sententia »longe remota: quae enim viventibus virtutes »videntur, a Deo plerumque, qui recte omnia »metiri novit, vitia iudicantur. Ego quidem ex »Dei miseratione salutem consecutus coelesti glo»ria fruor, verumtamen in purgatorio igne tri»duano poenas exsolvi, quae trium milium anno»rum (haud mentior) mihi diuturna supplicia visa »sunt. Quod si horum causam quaeras, ea ge»mina fuit:

I⁰ »Quod ex diuturna mea inter fratres prae»latione, plerasque maculas, quas nec maculas »existimabam, imprudenter contraxerim, ac plu»rima praetermiserim, quae et superioris munus, »et commissi mihi gregis officium postulabant, »quae summo rigore in Dei iudicio examinata »fuerunt«;

II⁰ »Quod in animi remissionibus, quas intra »solius virtutis terminos contrahere debueram, »erga subditos indulgentior quam par est exti»terim, ex quo plerumque dissolutiones erum»perent. His ad posterorum quoque disciplinam »dictis, protinus ad coelestia remeavit«.

Aliud exemplum habet[1]) de quodam fratre in provincia Romana aegrotante: »Qui ad vitae »exitum properabat, et ab alio suppliciter petiit, »ut circa horam nonam, quo tempore sibi ex hac

[1]) Annal. hist. PP. Capuc. tom 1. p. 661. n. 27 anno Christi 1567.

»luce emigrandum esse, Divina revelatione acce»perat, Deo Sacrum Missae sacrificium pro eo »offerret: id enim sibi a Deo revelatum esse si»gnificaverat, se purgatorii poenis tamdiu de»tinendum esse, quoad unicum Missae sacrificium »absolveretur. Cui cum Franciscus prompte an»nuisset, ipsa nona hora qua aegrotus ex hac »vita decedit, Missae sacrificium inchoat et ad »finem usque perducit. Vix is sacerdotales vestes »exuerat, et de more Deo gratias agens pro de»functi anima preces et lacrymas offerebat, cum »defuncti vocem se vocantem audit: Francisce, »Francisce. Cui Franciscus: Quis es tu, quem »me vocantem audio? Sum (inquit ille) defuncti »fratris anima, pro qua sacrum missae sacrifi»cium obtulisti: Heu, heu, pater mi, quam longe »hanc missam produxisti. Cui Franciscus: Quid »ais, inquit: Vix media post obitum tuum hora »elapsa fuit. At ille, tam longa ait haec mora »mihi visa fuit, ut annum mihi in poenis prae»teriisse viderer, iamque inde nisi post diutur»num tempus emergere plane desperaveram. Ita »Deo et tibi gratias ago, nunc enim a poenis »solutus, in coelum conscendo. Pax tibi. His dic»tis evanuit«.

Antiquius exemplum refert Thomas Cantipratanus[1]), S. Thomae Aquinatis condiscipulus, et discipulus B. Alberti magni: »Quantae«,

[1]) Apum lib. 2. cap. 54.

inquit, »est prudentiae in hac vita poenitentiam »agere, exemplum subsequens demonstrabit. Erat »vir fidelis et bonus, sicut praedictus magister »Albertus frater ordinis praedicatorum, et postea »Ratisbonensis episcopus, sibi ab his, qui rem fa»miliariter noverant, traditum referebat: qui post »diuturnam poenitentiam quam sanus fecerat, in »languorem gravissimum incidit: quo per annum »non modice tribulatus, cum lacrymis rogavit »Dominum, ut toti languori concessa morte, fi»nem imponeret. Nec mora, missus ad eum an»gelus Domini dixit ei: Exaudivit Dominus pre»cem tuam, sed eligas quod vis, aut tribus die»bus poena purgatorii torqueberis, si nunc de»cedas, aut si adhuc per annum in languore »manere volueris, sine ullo purgatorio ad supe»ros evolabis. Tunc ille praesentem poenam re»colens, nec futuram advertens, respondit: Mori »potius eligo, et non tantum tribus diebus, sed »quantum Domino placuerit in purgatorio tribu»lari. Fiat, inquit angelus, secundum verbum tu»um. Nec mora, languens morte solutus est, et »eius anima in purgatorium deportata. Uno ergo »die exacto, venit angelus ad locum purgatorii, »ubi anima torquebatur, et dixit ei: Quid nunc »agis o anima, quae pro languore unius anni, »tribus diebus elegisti in purgatorio detineri? Cui »anima: O seductor, inquit, non angele, qui me »in poenis multis annorum curriculis, pro trium »dierum spatio fefellisti. Et angelus: Non mora,

»inquit, sed inestimabili tortura decepta es, quia »non nisi unum diem de tribus in purgatorio »peregisti. Tui tamen adhuc, si retractare voluc»ris quod elegisti, Dominus miseretur, ut ad cor»pus tuum, quod nondum sepultum est, reporte»ris, et per unum annum, languorem quem ex»pertus es. patiaris. Cui anima: Annuo inquit, ut »non per unum tantum, sed usque in finem mundi »languore etiam detinear acriore. Hoc dicto, »anima reportatur ad corpus, et per annum, in »languore detenta, multos, quibus hoc retulit, ad »poenitentiam animavit, et post annum unum, »iterato defuncta, transiit ad superna«.

Quis ergo erit tam inconsideratus, qui id credens, non curet, detrudi ad poenas illas post mortem, si eas hic vivens posset evadere? Quis audebit deliberate peccare, et se poenis illis sic peccando reddere obnoxium? Siquidem nullus auderet deliberate peccare, si certo sciret, se post centum talia peccata, immo post unum solum, combustum iri in foro vivum, vel in rotam vivum actum iri? Pondera hoc, et consule rebus tuis, et tanquam a facie colubri deinceps fuge quodvis peccatum veniale deliberatum, et poenas peccatis indeliberatis aliisque debitas, hic dum vivis, quam primum abolere stude. Nam si Christina virgo, teste Thoma Cantipratano et Iacobo de Vitriaco Cardinale, in vita B. Mariae Ogniacensis eius coaevo, eique noto, et teste

Dyonisio Carthusiano [1]), (quem Bellarminus [2]) appellat: »Virum sanctissimum et doctissimum«, Molanus vero [3]) »eruditione, sanctitate et revela»tionibus clarum«, Sixtus Senensis: »Virum eru»ditionis et sanctitatis summae«, Serrarius [4]), »Virum doctrina et sanctitate praestantem«) Christina inquam, per quadraginta duos annos, incredibilibus modis se excruciavit (postquam poenas purgatorii divinitus sibi ostensas post mortem vidit, et divinitus resuscitata ad corpus suum rediit), ut aliorum animas ab iis liberaret, quanto magis se tam diris (uti paulo post patebit) poenarum generibus confecisset, si poenas illas experta fuisset, aut pro se praeparatas agnovisset, uti tu potes agnoscere tibi praeparatas, ni te hic purgaveris?

»Ingrediebatur Christina in ardentes clibanos »coquendis panibus praeparatos, et illis incen»diis haud secus atque aliquis e nobis cruciaba»tur, ita, ut prae angustia et dolore horrendos »ederet clamores. Quando ad manum non erant »eiusmodi furni in hominum aedibus, iactabat se »in copiosos ignes, vel pedes tantum aut manus »immittebat tamdiu illic tenens, ut nisi Divino »servata esset miraculo, non potuerit non in ci»neres redigi. Interdum deponebat se in cacabos »plenos bullientis aquae usque ad mamillas, vel

[1]) Lib. de quatuor novissimis art. 50. [2]) De script. Eccl. [3]) Natal. 55. Belgii. [4]) In Tob. c. 8. q. 10.

»si non essent profundi satis cacabi, usque ad »renes, membra illa, quae in aquam eiusmodi »mergere non poterat, aqua ferventi perfundens: »sub aquis Mosae fluminis hyberno tempore cum »rigerent omnia gelu, crebro et diu morabatur, »sex et eo amplius diebus in eis perdurans. So»lebat etiam hieme sub molendini rota, erecta »stare, ita ut aqua, vertente se rota in medium »verticem et totum corpus eius delaberetur. In»terdum in aquis natans simul cum illis ferebatur in rotam, atque ita horrendum in modum »circumagebatur cum ipsa rota. In rotis etiam, »quibus piratae plerumque puniri solebant, in»star eorum qui illis excarnificantur, contorque»bat brachia et crura sua, nonnunquam in pati»bulo inter fures ab illo pendentes se suspen»debat, ad unum et alterum diem. Saepe in mo»numenta mortuorum ingrediebatur, lugens illic »hominum peccata. Surgebat quandoque mediis »noctibus, et totius oppidi Trudonensis« (in Hasbania) »canes in se concitans, ante illos ipsam »insectantes instar ferae cuiusdam cursitabat, »sicque per devia et per densos vepres et spi»neta agitata, adeo ab illis compungebatur et »lacerabatur, ut nulla corporis eius pars vulne»ris esset expers. Alias ipsa se sua sponte spi»nis et sentibus compungebat, ut toto corpore »sanguine perfusa videretur. Praeter has san»guinis profusiones, saepissime permultum sibi »sanguinis venae sectione detrahebat«. Et multis

aliis modis, lacrymis perpetuo maerens, ieiuniisque se conficiebat. Mortua est anno 1224, quo die, incertum«.

Sed ut rem hanc magis apprehendamus, praestat intelligere, quid dixerit prima vice resuscitata: »Statim«, inquit, »ut e corpore excessi, »animam meam exceperunt lucis ministri angeli »Dei, deduxeruntque illam in locum quendam »obscurum et horridum animabus hominum re»fertum. Quae vero tormenta eo in loco con»spexi, ea tam immania et acerba fuere, ut nul»lus possit sermone id explicare. Vidi illic non »paucos vita functos, mihi cum viverent non »ignotos. Valde autem miserata ego animas illas »miserabiles, quaerebam, quis esset iste locus; »suspicabar enim tartarum esse, responderunt »mihi duces mei: locum esse purgatorii, ubi pec»catores, quos in vita quidem peccasse poenitu»isset, sed non satis scelerum suorum meritas »poenas darent. Inde perduxerunt me ad infero»rum supplicia, in quibus itidem agnovi quosdam »mihi olim in vita notos. Postea vero translata »sum in paradisum, usque ad thronum Divinae »maiestatis«: (non re ipsa, ut opinor, sed in visione, quomodo etiam multi veri servi Dei, vident thronum caelestem, et choros beatorum anima existente in corpore vivo) »ubi cum vi»derem gratulantem mihi Dominum, ultra omnem »modum laetabar, quod arbitrarer, illic me dein»ceps cum Domino in omnem aeternitatem per-

»mansuram. At ille mox respondens desiderio »meo: Re vera, inquit, dulcissima filia, hic me»cum eris: sed nunc utrum e duobus malis, »optionem tibi facio, vel aeternum hic nunc »apud me permanere, vel redire in terras, ibique »in mortali corpore absque illius detrimento poe»nas perferre, iisque omnes illas animas quas in »locis purgatorii miserabaris, liberare et eripere, »efficereque, ut homines adhuc in corpore ma»nentes, tua poenitentia et vitae exemplo ad »me conversi, a suis facinoribus abstineant et »resipiscant; peractisque omnibus ad me tandem »multis aucta meritorum cumulis reverti. Ego »vero absque ulla cunctatione, sub conditione »mihi proposita, dixi, me velle ad corpus redire. »Et pius Dominus, gratulans quod me promptam »obtulissem, iubet animam suo corpori restitui. »Et ea hora, qua in missae sacrificio (quod pro »me fiebat) dicebatur primo: Agnus Dei qui tol»lis peccata mundi etc., anima mea sistebatur co»ram solio divinae maiestatis, cumque tertio id »repeteretur, beati spiritus me corpori reddidere »etc.; propter hominum emendationem et cor»rectionem ad corpus revocata sum; itaque de»inceps oro, ne vos perturbent ea quae visuri »estis in me. Excedent enim mentis humanae »captum, quae Domino volente fient in me«.

Non est mirum, tam valde Christinam se pro animabus enecasse purgatorii, et Veronicam supra commemoratam, illud expavisse, quia facile

homo contrahit debitum illas subeundi poenas, et difficile ab iis liberatur, et gravissime in iis torquetur. Quando B. Veronicae virgini Augustinianae fuerunt ab angelo monstrata tormenta in purgatorio [1]), praesertim quae patiebantur personae religiosae utriusque sexus, »ob levem etiam »inobedientiam in superiores, ac segnitiem in »exequendis divinis, et ob inane murmur qua»rundam sanctimonialium in suum confessorem, »postquam ab illa visione ad corporea officia »rediit et sensus vehementis tristitiae, timidi do»loris, ingentisque horroris signa dedit, manuum »percussionibus, motu capitis, voceque flebili »dixit: Heu! heu! quas hodie poenas, quaeve »tormentorum genera vidi ab iisdem tortoribus »qui sunt in inferno inflicta, eodemque igne in»ferni! Haec cum diceret, inter verba solo dila»bitur Veronica, febris vehemens virginem arri»puit, signaque toto corpore virgineo, igne ve»luti micantia, magnitudinisque instar palmae »manus apparuerunt. Ita sunt magna et inexco»gitabilia tormentorum genera in purgatoriis »ignibus«.

Scribit P. Iulius Mancinellus in suorum luminum libello primo, apparuisse sibi sacrificanti quendam patrem nostrum »importunan»tem illum, ut pro se oraret. Obierat autem pa»ter illi ante quinque vel sex annos. Ex quo

[1]) Vita lib. 3. c. 10.

»intellexit, non ita facile animas nostras trans»ferri in coelum, sed exacta purgatione indigere, »praesertim cum fere certo crederet, patrem il»lum nunquam incidesse in peccatum mortale »post ingressum in religionem, et antea rarissi»me et casualiter, quoniam sibi fere semper erat »confessus: sed in religione habuit aliquos de»fectus, puto turbationis, severitatis, et tenacita»tis proprii iudicii, et inanis gloriae, in hoc, »ut haberetur operarius alicuius existimationis »et pretii, cum tristitia et pusillanimitate susti»nens huius rei contrariam opinionem«.

Scribit Vincentius Belluacensis[1]): »Monachum quendam in extremis agentem, an»tequam decederet, raptum in spiritu ductumque »ad loca poenarum infernalia, vidisse animas »multas verubus et contis acuminatis infixas, ad »rogum maximum in modum anserum torreri et »assari, ipsosque crudelissimos tortores, sufflato»riis aliisque igneis instrumentis, miserorum tor»menta totis nisibus aggregantes. Alii vero pa»tellas et sartagines ignitas de subtus iacentes »ponebant, adipemque qui de ardentibus iacen»tium membris fluebat, diligentissime colligentes, »eundem rursus bullientem et ferventem, super »eos, a quibus fluebat, refundebant, quam poe»nam, caeteris cruciatibus intolerabiliorem eis »esse, considerabat. Post haec ductus est ad

[1]) Hist. lib. 7. cap. 109.

»quendam refrigerii locum, ubi multitudinem ani»marum quasi post gravem aliquem laborem »quiescentium invenit; interrogatusque ab angelo »ductore suo, si sciret quae haec essent, se ne»scire respondit. Sanctus vero angelus dixit ei: »Hi quos vidisti ad ignem illum permaximum »assari, homines sunt ordinis tui, qui licet cri»minalibus peccatis se nequaquam foedaverunt, »non tamen, sicut monet Scriptura, servire Do»mino in timore et tremore curaverunt, non di»sciplinae censuram tenere, non quietis et silen»tii patientes esse, non denique vigiliarum et »orationum solemnem devotionem, neque laboris »sanctae psalmodiae executionem strenue sicut »oportet aemulari studuerunt, sed magis curiosi, »faceti«, (notet lector, quomodo hi defectus multis communes, a multis pro levissimis habiti, puniantur in purgatorio) »vagi, superflui, desidiosi, »pigri, somnolenti, signis, iocis, et levitatibus »indulgentes, monasticae professionis puritatem »violare non timuerunt, qui postquam secundum »aequissimam Dei sententiam in supravisis poe»nis, aliis brevius aliis prolixius, pro quantitate „et qualitate excessuum suorum purgati fuerint, »mediante gratia Dei, in hunc refrigerii locum »introducuntur, atque hic post horrenda illa sup»plicia pausantes, perfectionem beatitudinis suae »cum patientia praestolantur«. Sic Vincentius.

Quocirca ob res etiam iudicio imperfectorum

levissimas multi detruduntur ad purgatorium, etiam bene sed non perfecte viventes.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo mortui sunt me praesente in collegio Romano duo fratres scholastici mei condiscipuli, M. Antonius Ridolphinus, et Celsus Finettus Senensis, ambo valde exemplares, modesti, devoti, obedientes, uno verbo, nullum unquam in ullo eorum peccatum, nullam imperfectionem notavi, vivendo cum illis aliquot annis, tamen, ut scriptum est in annuis litteris Societatis illius anni impressis [1], (quae res ante mortem eorum erat inter nos vulgata) Beatissima V. Maria apparens Celso Finetto dixit, eum salvum fore, sed quatuor annis in purgatorio futurum, Ridolphinum vero tantum duobus, et post mortem eius, hunc quoque (uti contigit post quindecim circiter dies) moriturum. Sed praestat hanc historiam referre ipsis verbis, quibus ea descripta est a Sebastiano Beretario. »Anno Domini 1597 XI. Calendas Octobres, Celsus »Finettus magnae pietatis, purique candoris, et »egregiae expectationis adolescens, cursum et »ipse suum consummavit. Sex hic fuit annos in »Societate, cum vicesimum tertium aetatis age»ret; patria fuit Senensis, cultui Matris Virginis »praecipue addictus, quam etiam in morte vi»sam, mortem sibi et salutem certo praedixisse

[1]) Pag. 582.

»narravit. Diem quoque purgatoriarum poenarum »in quadriennium finiendam nuntiasse: adiecisse »insuper B. Matrem, M. Antonium Ridolfinum »adolescentem viginti duo annorum (quatuor tan»tum in Societate, quem ipse in logicae studiis »habuisset condiscipulum, et forte per id tem»pus aegrotabat) non longo intervallo secutu»rum: non tamen illi ultra biennium purgatorii »carceris finitam diem. Quod cuicuimodi accipien»dum sit, ad excutiendam tamen e nostro pectore »socordiam, scribendum visum est, ne quis inani »fiducia expeditum sibi fore transitum ex his »aerumnis blandiatur: cum duas tanto candore »animas, quae tanta sinceritate suae primitias »aetatis Deo dedicassent, iter ad caeleste gau»dium tanto poenarum vallo obseptum habuisse »audiamus. Non inane autem aut umbratile fuisse »visum, multi iudicarunt: cum insolita ex eo »tempore laetitia ipsius animus perfrueretur: nec »nisi de futura vita libenter iucundeque sermo»nes vel haberet vel admitteret. Sed multo ma»gis eius rei fidem confirmavit, alterius pari pro»bitate pietateque condiscipuli, quarto idus Octo»bris, consequenta mors«. Hucusque annuae litterae.

Si ergo isti duo, quos vidi religiosissime viventes, et plane irreprehensibiles, tamdiu in purgatorio fuerunt, quid timendum est viventibus irreligiose, dissolutis, detractoribus, irrisoribus bonorum? »Vae etiam laudabili vitae hominum«,

inquit S. Augustinus [1]), »si remota misericordia »discutias eam«. Quocirca, »cum praeter caetera »a Deo collata munera, hoc etiam bonum natu»raliter sit insitum homini«, ut ait B. Laurentius Iustinianus [2]), »universa videlicet abhorrere poe»nalia, utilia vero semper desiderare et laeta, »potissimum si qualitatem eorum gustu didice»rit. Sunt tamen innumeri qui naturalis rationis »parvi pendentes donum, ac pecudum more de»gentes, sectantur noxia, et a lege Dei prohi»bita, proficua vero et sancta despiciunt, quae »pacem praestant et vitam etc. Ignorant prorsus »qui tales sunt, quanti sit ponderis peccare in »Deum, ipsiusque praecepta negligere, nec non »quanta (exigente iustitia) ex suo reatu delin»quens plectendus sit poena: utinam (inquit S. »Propheta de talibus) saperent et intelligerent »ac novissima providerent« [3]). Proinde magna est adhibenda cura, ne deliberate peccemus, ne ob peccata commissa, et hic plene non expiata, poenas luamus in purgatorio tam graves.

Recensui haec exempla etiam in Opusculo meo sexto de octiduana recollectione [4]). Sed ut lector qui non habet primam meorum opusculorum partem, his adiuvetur exemplis, hic ea iterare volui.

---

[1]) Conf. l. 9. c. 13. [2]) De obedientia c. 25. [3]) Deut. 32, 29. [4]) Opusc. pars. I-a c. 10. a pag. 417.

CAPUT XII.

De fugiendis peccatis omnibus in cultu Dei.

Praeter alias causas communes aliis peccatis, ob quas peccata in operibus ad divinum cultum a Deo, et Ecclesia destinatis, vitanda sunt omnino, ita, ut nunquam ullo peccato contaminentur, una est mira Dei severitas, qua punivit in hac et in altera vita peccata venialia, iudicio communi vulgi habita pro levibus, circa res, et in usu rerum divinarum commissa. Exempla certa proferam.

Primum exemplum: »Percussit autem« (Deus) »de viris Bethsamitibus, eo quod vidis»sent arcam Domini: et percussit de populo »septuaginta viross, et quinque milia plebis«.

Ut autem penetremus vim huius exempli, ad cognoscendum, quantopere Deus oderit etiam unum peccatum veniale, circa res ad divinum cultum (uti erat arca, et eius gestatio, et asservatio) institutas, explicanda et ponderanda sunt aliqua:

Inprimis peccatum illud Bethsamitarum non fuisse mortale, ex pio erga Deum, sed indiscreto affectu, profectum. Quod agnoscemus, considerando qualitatem eo-

[1]) 1. Reg. 6, 19.

rum peccati, prout a diversis interpretibus explicatur.

I-a sententia est Theodoreti[1]) et Procopii qui eundem solet sequi et Cedreni: »Po»pulus«, inquit Theodoretus, »fuit castigatus, ut »qui noluerit pro arca adire periculum, et septem »menses eam reliquerit apud alienigenas et pro »ea bellum non susceperit«.

»Sed contra est«, inquit Mendoza[2]), »quia haec culpa totius populi fuit« (si fuit) »non propria Bethsamitarum«, cum igitur hi soli puniti sint, evidens est, propriam aliam culpam eorum fuisse causam tantae poenae. Deinde, si quae culpa fuisset, lethalis non fuit, quia nemo tenetur cum tanto periculo recuperare res sacras, quantum Bethsamitae, incolae parvi et sacerdotalis oppidi subire debuissent, cum gente adeo etiam Sauli regi et David molesta et potenti.

II-a sententia est Hebraeorum apud Lyranum, quod Bethsamitae, qui metebant triticum in agro, elevantes oculos, et videntes arcam, inaniter et inepte exultarunt.

»Sed haec causa«, inquit Salianus, inepta est. »neque enim haec eorum laetitia a Scriptura »reprehenditur«: et ut ait Mendoza, »haec lae»titia inanis esse non potuit, sed inprimis so»lida«. Quis enim non laetaretur videns ex hos-

[1]) In lib. 1. Reg. q. 11. [2]) In Comm.

tium manibus ereptum scabellum pedum Dei, et vas illud sacrum, ex quo Deus sua dabat responsa? Denique haec laetitia peccatum mortale esse non potuit: uti nec nunc esset, si quis laetaretur, videns reduci ex haereticorum terris tabernaculum SS. Eucharistiae, vel aliam rem sacram, quin immo talis laetitia esset signum et effectus religiosae devotionis erga Deum, et res eius cultui consecratas.

III-a sententia est Lyrani et Abulensis [1]), Bethsamitas peccasse, quia in holocaustum obtulerunt vaccas, cum tantum mares offerri deberent, ex divinae legis praescripto [2]).

Sed contra est:

a) Quia hoc holocaustum non a Bethsamitis est oblatum, sed ab ipsis Philistaeorum sacerdotibus, uti rabbini putant, et suspicatur Salian et sentit Mariana, primo quia expresse Scriptura attribuit levitis Bethsamitibus (e quorum numero etiam sacerdotes erant) solam depositionem arcae Dei, et capsellae iuxta eam a Philistaeis positae, continentis »quinque anos aureos, »et quinque mures aureos«. Non potest ergo ex Scriptura colligi, illam vaccarum immolationem factam esse a sacerdotibus Bethsamitis.

b) Non fuissent ausi contra legem Dei vaccas immolare sacerdotes tempore tantae laetitiae, quam procul dubio perceperunt, visa resti-

---

[1]) In libr. 1. Reg. c. 6. q. 19. [2]) Lev. 1, 3.; 22. 19.

tuta ab hostibus arca, (qua nihil prorsus habuerunt Israelitae sanctius nec aeque sanctum) sed, omni meliori modo, quo possent Deo grati animi ergo, ob restitutam rem omnium nobilissimam, sacrificassent.

c) Quia si immolatio vaccarum fuisset causa tantae necis, soli sacerdotes fuissent divinitus necati, cum autem necata milia quinquaginta essent hominum, signum est, non ob immolationem vaccarum esse necatos, tot enim sacerdotes in oppido illo (quod sacerdotale fuit [1]) non fuerunt; vix in toto populo Israelitico.

d) Quia si vere sacerdotes illas vaccas immolassent contra legem, excusari possent a peccato, eo quod, ut bene ponderat Sanctius [2]) »aliquid apparebat in illis vaccis singulare, propter quod ea immolatione non viderentur indignae: neque Bethsamitae credebant, ut est verisimile vaccas illas ab hominibus eo esse deductas, cum nullus appareret auriga, aut stimulus, qui reluctantes illas et triste aliquid mugientes impelleret. Quare eo illas existimabant actas, et ad illud opus ex numeroso grege sumptas esse divinitus. Quare quod a Deo sumptum esse crediderant, id deberi et Deo ad aram adduci posse arbitrabantur. Quod enim aliud de re sacra, et quam Dominus sibi delegisset, fieret honeste? Casus itaque rarus, et

[1]) Ios. 21. 13, 16. [2]) In 1. Reg. c. 6. n. 36.

»qui divinum aliquid in vaccis ostenderet, pru»denter Bethsamitas in illam cogitationem in»duxit. Adde, quod lex illa quae masculum exi»git ad holocaustum, faeminam repudiat, tunc »videtur vim habere, quando id solemni fit modo, »in destinato ac legitimo loco, ut in taberna»culo, temporibus a lege definitis. Quod si ali»quando in aliquo gravi rerum articulo, extra »ordinem, casu videlicet extraordinario fiat, non »puto faeminas, si masculorum desit copia, ab »holocausti religione depelli. Quale fuit holocau»stum illud quod obtulit Elias [1]), ubi multa sunt, »quae nemo auderet in tabernaculo, si legitimo »faceret atque solemni ritu. Nam primum obtulit »extra templum, obtulit non sacerdos, adhibuit »aquam, et victimam iterum ac tertio respersit »aqua. Multa praeterea fecit Samuel [2]) in »offerendo holocausto, quae lex sacrificalis non »admitteret, in quibus nemo prophetam accusat »violatae legis: quia illius articuli exigebat ne»cessitas, neque maior tunc commoditas occur»rebat. Sic ergo cum casus ille rarus esset, ne»que maior sese commoditas offerret, arripuere »Bethsamitae quod habuere primum, quodque »ab ipso Deo oblatum sibi ad illud opus existi»mabant«. Quocirca Mendoza [3]) quamvis putet peccati rationem fuisse immolationem vaccarum,

[1]) 3. Reg. 18. 22. sq. [2]) 1. Reg. 7, 9. [3]) Tom 1. in 1. Reg. c. 6. n. 14. in exposit. lit. n. 31.

tamen statim subdit: »Fateor, vocata fuisse a »Beda haec Bethsamitarum sacrificia bene acta, »quia licet ex obiecto essent illicita, ac legi di»vinae repugnantia, ex aliqua tamen circumstan»tia, a culpa excusari potuerunt: qualis fortasse »fuit nimius devotionis fervor, quo ad sacrifi»candum agebantur: hic enim affectum vehemen»ter accendens, non sinebat satis lucide speculari »intellectum. Nam ex Bethsamitis alii, ut loqui»tur Iosephus, prae gaudio mittentes opus ex »manibus, accurebant. Alii ut loquitur Theodo»retus[1]. libenter accurrerunt. et admirati sunt »Dei victoriam. Alii ut loquitur Sulpitius, cer»tatim ex oppido Bethsames, cum gaudio obviam »ruere, festinare, exultare, gratias Domino offerre. »Sabellicus, insperato gaudio, nimiaque lae»titia, obortis lacrimis venerabundi, currum, quasi »coelo demissum, excipiebant. Unde in tanta fe»stinatione. exultationeque, difficile non fuit, »aliquam holocausti ceremoniam inculpabiliter »praeterire. Quod certius erit, si quis dicat cum »Dionysio, eos peculiari instinctu divino actos »esse ad eas boves immolandas, ne profanis »usibus superessent: aut certe legem divinam »prudenter interpretatos, quae iubet, ut in holo»causto quod de armento fit, masculus offera»tur[2]. Illas autem vaccas iam non esse de ar»mento, sed egregias, ut vocant, hoc est, a grege

[1]) Theodor. q. 10. [2]) Lev. 1, 3.

»separatas, seu eximias, hoc est, a ceteris ex»emptas, ac tandem in divinum cultum iam ad»dictas et consecratas, proindeque ex illis, salva »lege, holocaustum fieri potuisse«. Haec Mendoza, qui tandem [1]) nobiscum contra Lyranum sentit.

IV-a sententia est etiam Abulensis [2]) Bethsamitas ideo peccasse, quia laici obtulerunt holocaustum ob advectam arcam.

Sed contra est, quia cum Bethsames civitas fuerit sacerdotalis [3]), procul dubio erant in ea sacerdotes, hi ergo adhibiti fuissent (si Bethsamitae vaccas obtulerunt) et ceteri laici per eos offerentes holocaustum bene dici poterant obtulisse, eo modo, quo in ecclesia catholica, in canone missae dicuntur offerre missae sacrificium ii, qui sacerdotes non sunt, in illis verbis: »Quod tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc »sacrificium pro se suisque omnibus«: quibus verbis ecclesia intelligit etiam non sacerdotes, sed eos quoque, quorum nomine illud a sacerdotibus offertur, vel qui curarunt illud offerri et qui optant pro se offerri, et eius fructuum esse participes.

V-a sententia est Lyrani et Hugonis Victorini, culpam fuisse Bethsamitarum, »quia »non introduxerunt arcam in domum, sed foris

[1]) Infra n. 24. [2]) Lib. 1. Reg. c. 6. q. 21. [3]) Ios. 21, 16.

»dimiserunt sine luminaribus, ubi ab omnibus »irreverenter aspiceretur«.

Sed ex Scriptura non constat, tanto tempore arcam fuisse sub dio in agro Bethsamitico, ut haec mora vitio iis tribueretur. Deinde potius honorarunt arcam, quia in primo eius accessu »obtulerunt holocausta, et immolaverunt victi»mas in die illa Domino [1], praeterea habuerunt iustam causam non transferendi arcam ex illo loco ad alium, quia [2] quamprimum arcae plaustrum pervenit ad agrum Iosue Bethsamitae, »stetit ibi«, procul dubio divinitus; unde colligere poterant, Deum velle ut tantipser ibi remaneret. »Luminaria autem«, inquit, Salianus[3] hanc sententiam improbans, »non adhibentur nisi »erecto tabernaculo, quod tunc erat adhuc in »Silo«.

Vera ergo sententia est, ideo Bethsamitas esse occisos, quia, ut ait sacer textus expresse [4]: »Percussit autem de viris Bethsamiti»bus, eo quod vidissent arcam Domini«. Non quidem quod illam aspexissent, id enim culpa vacat, nec unquam prohibitum est, alioqui periissent omnes, qui in castris fuerunt Israel, quia omnes eam aspexerunt dum per castra duceretur.

Duplex itaque aspectus Arcae culpabilis esse potuit.

[1]) 1. Reg. 6, 15. [2]) 1. Reg. 6, 14. [3]) A. M. 2940. n. 64. [4]) 1. Reg. 6, 19.

I⁰ Si arcam denudatam involucris quibus involvebatur a sacerdotibus, qualis esset, aspexerunt. Ita putat Abulensis [1]), Lyra, Hugo, Dionysius, Caietanus, Serrarius, Sanctius [2]), Salianus, Mendoza. Et hoc proprie significat »videre »arcam«. Neque enim illa videre dicimur, quae velata nostris oculis obiciuntur. Quis enim unquam dixerit, se illam vidisse imaginem, quae velo obducta est, aut faciem larvatam? Cum enim arca extra suum locum portanda erat, debuit »ab Aaron et filiis eius«, scilicet sacerdotibus, »velo quod pendebat ante fores, involvi«, ex Dei praescripto [3]). At simplicibus laicis et levitis nunquam id licebat, sub poena mortis, iuxta illud [4]): »Alii nulla curiositate videant quae sunt »in sanctuario«, (in quo erat arca) »priusquam »involvantur, alioquin morientur«. Involutam vero omnes laici poterant videre. Sic enim eam ad bellum procedentem, totus populus impune vidit [5]) uti et dum per desertum circumduceretur. Denudarunt ergo arcam Bethsamitae, ut sentit Abulensis, quam, ne quidem involutam, tangere poterant, nisi sacerdotes ac levitae de ordine Caathitarum [6]): »Tunc intrabunt filii Caath, »ut portent involuta, et non tangant vasa sanc· »tuarii« (scilicet nuda) »ne moriantur«.

II⁰ »Aspectus arcae« culpabilior esse potuit,

[1]) 1. Reg. q. 26. [2]) 1. Reg. n. 50. [3]) Num. 4, 5. [4]) Num. 4, 20. [5]) 1. Reg. 4. 4, 5. [6]) Num. 4, 15.

si introspexerunt, quid intra arcam fuerit inclusum, arca reserata. Ita Hebraei apud Isidorum Clarium et Serrarium, et sentit rabbi David, cuius sententiam Sa et Mariana non improbant: sed contrarium sentit Abulensis, et Caietanus: et ita vertit textum hebraeum Pagninus, et Tigurini. Ad verbum enim Hebraice sic est: »Eo quod aspexerant »in arcam Domini«. Pagninus vero vertit: »Quia aspexerant quae erant in arca Domini«. Tigurini sic: »Quod introspexissent in arcam »Domini«.

Et hoc videtur Sanctio non improbabile: quia verisimile est, id eos fecisse, tum ut agnoscerent, an aliquid esset a Philistaeis ex arca exemptum, siquidem apud eos detenta fuit per septem menses [1]), vel certe, ne quid ab eis intra arcam esset iniectum, quod minus arcae sanctitatem deceret: sicut viderant, in capsella ad latus arcae posita inclusos fuisse aureos anos, et mures aureos: qui cum natura sua aliquid essent sordidum et vile, ignominiae atque ludibrii causa formatos et adhibitos arcae, suspicari possent. »Hoc igitur studium«, inquit Sanctius, »quod »plus curiosae intemperantiae quam pietatis ha»buit, Dominus tam severi supplicii acerbitate »mulctavit«.

Sed cum inspectio arcae non potuerit (ut

[1]) 1. Reg. 6, 1.

bene observavit Tyrinus), tam brevi tempore, in tam multos cadere, ob eam non potuerunt tam multa milia occidi, sed potius, quia arcam a Philistaeis remissam, suis velis coopertam, uti ab iis erat capta, denudarunt et denudatam curiosius aspexerunt.

Sed an ista curiositas fuerit peccatum mortale? asserere non audeo, et fuisse non puto, has ob causas:

I° Quia non erat circa obiectum malum et turpe, ob quod curiositas oculorum a casuistis et theologis damnatur tanquam peccatum mortale.

II° Quia curiositas haec oriebatur ex pietatis affectu erga Deum, et rem divinam divino cultui consecratam, et divinis responsis ex ea dari solitis illustratam. Esto fuerit inordinata et nimia, non tamen talis, quae notabilem irreverentiam contineret, sicut nunc peccatum mortale non esset, si quis vere ex pietatis affectu tangeret sacrum calicem, qui nobilior est quam arca, vel agnum Dei nudum, aut Sancti alicuius reliquiam, vel imaginem Beatissimae Virginis, aliquibus miraculis magiis insignem. Hinc S. Thomas illam curiositatem quae peccatum est, ait oriri ex acedia[1]). At haec Bethsamitarum ex virtute religionis contraria e diametro acediae ortum habuit. Acedia enim est taedium

[1]) II-a II-ae q. 35. a. 5. ad 3.

bene operandi, et tristitia de re spirituali, ut dicit S. Thomas [1]). Estque recessus mentis a bono spirituali divino [2]), est species tristitiae [3]).

At in hac curiositate, omnia prorsus erant contraria. Orta est enim ex magna laetitia ob ereptam a Dei inimicis praecipuam rem divini cultus, et ex affectu pio erga rem spiritualem, qualis erat arca, contemplandam orta, ad fovendum devotionis affectum erga praecipuum sanctuarii vas sacrum. Ideo ad quantitatem peccati mortalis pervenire non potuit. Nec enim tanquam ultimus finis in hac inspectione Bethsamitis positus fuit, quod sat esset, ut actio parva fieret peccatum mortale, ut dicit S. Thomas. Praeterea curiositas quae sit peccatum mortale, est vitium circa cogitationem intellectus vel sensuum ad peccandum, (vel cum periculo gravis peccati coniunctum) et circa inspectionem ludorum et mulierum ad concupiscendum, et spectaculorum, ut ait S. Thomas [4]). At nil horum erat in curiositate Bethsamitarum, inter quos cum fuerint sacerdotes, per illos procul dubio detecta a velis fuit arca, non a laicis, nec a levitis meris.

Nec ex tam gravi supplicio, quo Bethsamitae fuere affecti, colligi potest, illam curiositatem

---

[1]) I-a q. 63. a 2. ad 2. et II-a II-ae q. 35. a. 1, 2, 3, 4. ad 2. et q. 54. a. 2. ad 1. [2]) II-a II-ae q. 35. a. 2, 3. ad 2, 4. ad 3. [3]) I-a II-ae q. 35. a. 8. [4]) II-a II-ae q. 167. a. 2.

fuisse peccatum mortale, quia supra ostendi, gravissimis suppliciis sola peccata venialia fuisse a Deo punita in dilectis servis suis Davide et Ezechia. Quocirca bene scripsit P. Sanctius[1]): »Multa peccata quae venialem gradum »non excedunt, corporali morte fuisse punita, »non solum humana historia docemur. Peccavit »Moyses ad aquas contradictionis, ut est commu»nis sanctorum opinio, venialiter. Ita Abulen»sis[2]) Cornelius; et tamen ob eam culpam in »conspectu terrae promissionis, ad quam multis »ante annis cum incredibili labore contenderat, »quam adire potuit, iubente Domino, mortuus »est. Venialiter quoque peccasse existimatur uxor »Loth, et tamen in statuam salis conversa est. »Nec ille gravius videtur peccasse, qui percutere »prophetam noluit[3]) et tamen a leone occisus »esse dicitur. Sic etiam propheta, (qui contra »mandatum Dei sumpsit cibum in domo alterius »prophetae) venialem videtur admisisse culpam, »cum a graviori illum multa liberent, quia de»ceptus ab eo, quem prophetam putabat, et a »Deo habuisse mandatum, ut ipsum, ad sumen»dum cibum e via reduceret[4]), quia sciebat Deum »aliquando mutare aut moderari, quod prius prae»cepisset, pro rerum oportunitate, quia non »sponte videtur profectus, sed quasi vi adductus,

[1]) Comm. in 3. Reg. 13. n. 17. [2]) In Num. 20. q. 8. [3]) 3. Reg. 20, 35. 36. [4]) 3. Reg. 13, 18. sq.

»cum prius, quoad potuit, recusarit, obtendens »quod aliter esset imperatum a Deo. Ita sane »putat Caietanus, et Abulensis [1]) iudicat, ubi »parvum dixit existimari peccatum. Et cum »ostendisset [2]) multis peccasse prophetam, qui »cum oppositum haberet in mandatis a Deo, »debuit diligentius examinare senis illius verba, »in quibus aliquid fraudis latere poterat, et De»um ipsum orando, aut alia ratione consulendo »sciscitari, quid factum esse vellet, in quaestione »tamen sedecima, culpam illius multis extenuat. »Idem de veniali culpa tenet Cornelius a La»pide [3]) ubi tam uxoris Loth, quam huius pro»phetae venialem fuisse dicit inobedientiam etc. »Hoc certe dixit Cassianus non obscure [4]); nam »cum docuisset viros sanctos corporaliter tra»ditos esse satanae, et gravia passos in cor»pore, propter peccata levissima, statim [5]) exem»pla produxit optima aliquorum, qui propter »peccata usque adeo levia, ut vix in illis macu»lam venialem agnoscas, gravibus tamen, tam »a daemone, quam a dolorum acerbitate et foe»ditate morborum affecti sunt incommodis, qui»bus occisi a leone prophetae exemplum annu»meratur. Lege utrumque caput, et disces, quam »non sint contemnenda illa, quae homines levia »esse putant et venialia, quando Deus illa (cum

---

[1]) C. 20. Num. 9. 8. [2]) C. 20. Num. 9. 5. [3]) In c. 19. Gen. [4]) Collat. 7. c. 25. p. 702. [5]) Coll. 7, 26. sq.

»tamen id agat misericorditer) tanta severitate »castiget«. Haec Sanctius praeclare.

Secundum, quod in hoc exemplo ponderari debet, est poena, qua Deus hoc peccatum veniale castigavit; de qua, etsi diversae sint sententiae interpretum, communis tamen et magnis nixa autoribus Theodoreto[1]), Procopio, S. Gregorio[2]), Beda, Ruperto S. Antonino[3]), Dionysio Carthusiano, Eucherio, Angelomo, Comestore, Cedreno, Saliano[4]), Mendoza, Sa, Mariana, vere et realiter ob hanc curiositatem e Bethsamitis occisa esse tot millia, quot esse occisa dicuntur in sacro textu: nimirum percussos esse a Deo »de populo septuaginta »viros, et quinquaginta milia plebis«, hoc est ut exponit S. Gregorius, Beda, Eucherius, et Angelomus, percussi sunt septuaginta tantum de primatibus seu nobilioribus, at quinquaginta milia ex plebeis et obscurioribus seu, ut alii putant, percussa sunt quinquaginta milia hominum, et septuaginta, nullo facto significationis discrimine inter populum et plebem, sed primo loco positum esse numerum septuaginta minori numero, ut fieri solet, ad maiorem praemisso Sic enim solemus dicere: Habeo annos aetatis

[1]) Thedor. q. 11. [2]) In 1. Reg. l. 2. c. 4. [3]) P. 1. tit 2. c. 6. [4]) A. M. 2940. n. 69.

quatuor et triginta: sunt in hoc exercitu milites ducenti et ter mille.

Et confirmatur bene a Saliano haec opinio defendens textum Scripturae, quia dicit sacer textus versu eodem undevicesimo: »Luxitque »populus, eo quod Dominus percussisset plebem, »plaga magna«. Non fuisset autem magna, si tantum septuaginta homines, non plures a Deo occisi fuissent.

Quo autem mortis genere occisi fuerint, cum S. Scriptura nil dicat, incertum est. Sat est ad cognoscendam gravitatem venialis peccati, esse a Deo ob illud, repente, vita omnibus rebus humanis cariore, privatos tam multos.

Si enim nunc in hac civitate Imperator Augustissimus iuberet decolari omnes cives, qui non attigunt numerum occisorum Bethsamitarum, si sciremus certo, eum iustissime id imperasse, quamvis causam tam severi decreti ignoraremus, iudicaremus, rem fuisse gravissimam talis supplicii causam. Ita, cum fide divina credamus, Deum esse iustissimum, et eidem credamus, »miserationes eius esse super omnia opera »eius«, et in ipsa executione iustitiae, eum esse misericordem, etiam in altera vita, ubi quemadmodum bene docent theologi, etiam damnatos punit citra condignum, hoc est, minus quam digni essent; quia mererentur poenam infinitam, etiam intensive, ob offensam infinitam maiestatem: ideo debemus agnoscere gravissimam rem

esse quodvis veniale peccatum, praesertim in operibus ad divinum cultum spectantibus, et circa res sacras ac divinas, qualis fuit arca testamenti.

Conferamus nunc hanc curiositatem Bethsamitarum cum peccatis venialibus, quae fiunt in oratione et Missa. Inveniemus ea esse multo graviora illa curiositate.

I⁰ Quia peccata nostra in oratione et Missa committi solita, sunt circa ipsum Deum quem alloquimur, cuius corpus sanctissimum tractamus et Deo ipsi offerimus, et illud tanquam cibum sumimus; curiositas autem illa immediate erat circa arcam, quae etsi esset res sacra, tamen non erat aliud quam scabellum pedum Dei, sic enim appellatur [1]): »Adorate scabellum pedum »eius, quoniam sanctum est«, qui titulus ei quoque datur [2]).

Unde sequitur, tanto maius esse quodvis peccatum veniale in cultu Dei commissum, comparatum cum hac curiositate Bethsamitarum, quanto maior est divina maiestas, collata cum ligneo scabello, etsi sacro, pedum suorum. Cum ergo infinite superet divina maiestas hoc scabellum pedum suorum, infinite quodam modo superat quodvis peccatum nostrum veniale in Dei cultu commissum, hanc curiositatem Bethsamitarum. Quocirca, si illa digna fuit aequissimo iudicio

[1]) Psalm. 98, 5. [2]) 1. Paral. 28, 2.

Dei, ob quam quinquaginta milia hominum divinitus mactarentur, multo magis quodvis peccatum nostrum veniale in Dei cultu commissum, longe maiores poenas meretur, et has omnes regni huius calamitates, in quibus tamen non sunt ab hostibus nec a peste occisa per hos omnes annos quinquaginta milia hominum.

II° Bethsamitae semel tantum hac curiositate Deum offenderunt: nos saepissime offendimus.

III° Illi offenderunt, non visa nec audita tali poena, ob peccata venialia immissa a Deo, nos e contra.

IV° Illi ad curiositatem adducti fuere ex motivo pietatis et devotionis erga Deum, et ex pio affectu erga arcam, peccando per excessum in hoc: nos e contra, ex defectu devotionis, et pietatis, et religionis, et ex negligentia, et acedia, Deum offendimus in operibus ad eius cultum ordinatis, ideo gravius Deum offendimus quam illi.

V° Illi peccarunt, non praemissis tot promissionibus et propositis abstinendi a peccatis in colendo Deo a nobis toties commissis; nos e contra, unde etiam ex hoc capite nostra peccata sunt graviora et magis impudentia.

VI° Illi non acceperunt tot beneficia ab arca, quot nos accepimus, et quotidie accipimus a Deo et speramus pro tempore futuro. Ideo etiam ex hoc capite dum eum offendimus immediate trac-

tando cum eo, magis peccamus, quia maximam nostram ingratitudinem sic peccando declaramus.

VII° Illi in sua curiositate arcam tractarunt cum quadam reverentia in tangendo, aspiciendo, et procul dubio, cum sensu pietatis et devotionis in ipso eius aspectu; nos e contra, actibus plane contrariis contaminati, cum eo conversamur etc.

VIII° Illi ante hanc curiositatem obtulerunt Deo holocausta, et immolaverunt victimas diversas ab immolatione vaccarum [1]); et holocausta ab eis oblata non improbantur a Deo, quod signum est, fuisse bene et sine peccato facta. Nos autem ante opera divini cultus, loco operum sine peccato factorum, saepe praemittimus alia opera peccatis contaminata, uti sunt mala praeparatio, vel nulla ad orationem, et missam, vel somnolentum caput, vel irreverentia in accessu ad locum orationis, vel alia his similia. Unde ex hoc capite, magis sunt illi excusabiles, quam nos, ideo graviora sunt nostra peccata in oratione et missa.

IX° Illi ex illo aspectu arcae non sperabant ulla beneficia tam magna, uti nos scimus conferri solita a Deo ob orationes et sacrificia missae pie oblata. Ideo etiam ex hoc capite, magis offendimus Deum, tam male tractantes illum per

[1]) 1. Reg. 6, 15. et 14.

per opera adeo nobis utilia, si illa eo quo par est modo, exerceremus.

Confundamur ergo tanquam peiores Bethsamitis, et digni poenis maioribus, et tanquam causa omnium istarum calamitatum, quas a tot annis patitur hoc regnum, et haec provincia, ideoque ne magis irritemus Deum contra nos et contra alios, vitemus omne peccatum in cultu Dei: »An nescis«, inquit S. Ambrosius [1]), »quam »grave sit in oratione contrahere peccarum, ubi »speras remedium? Certe Dominus per prophe»tam docuit hoc grave esse maledictum, dicens[2]). »Et oratio eius fiat in peccatum«. Absit ergo, ut oratio nobis in maledictum nostra culpa vertatur, multo minus sacrificium missae, sed ut potius per haec bene sine peccatis peracta, auferantur omnia maledicta a nobis, ut praeservemur ab illis. Deique iram placemus, qui non placatur sed irritatur magis, dum rebus ad eum placandum institutis abutimur, per eas de novo eum offendendo, sicut merito offenderetur gravissimo imperator, si data nobis audientia ad eum placandum, iterum de novo in ea illum offenderemus, praesertim, si id de industria, hoc est, deliberate faceremus.

---

[1]) De Cain et Abel l. 1. c. 9. [2]) Psalm. 108, 7.

CAPUT XIII.

De eadem materia vitandi peccata venialia in cultu Dei.

Meretur Deus multis titulis, ut saltem eo modo tractetur a nobis, dum eum in operibus ad eius cultum institutis alloquimur, quem adhibemus dum alloquimur mundi monarchas, imo alios principes illis inferiores. Sicut ergo tunc vitamus omnia, quae possunt iure offendere principem, et conamur ita eos alloqui, ne quid etiam indecorum in nostro vestitu et gestu appareat non gratum principi, ita saltem hoc ipsum in alloquio Dei servandum est. Inter incitamenta autem huius rei, unum potest esse, magna Dei displicentia quam ostendit, dum res ad eius cultum institutae, male tractantur, etiamsi solum peccatum veniale in tali tractatione committatur. Hinc enim agnoscere possumus, quantopere offendatur Deus, dum immediate committitur aliquod peccatum contra ipsum, in oratione et missa, si offenditur peccatis commissis contra res illius, infinito intervallo distantibus a summa et infinita eius maiestate.

Praeclarum huius rei exemplum et documentum habemus in Scriptura, ubi narratur [1]): »Iratum esse indignatione Dominum,

[1]) 2. Reg. 6. 7.

»contra Ozam, et percussisse eum super temeri»tate, et mortuum esse ibi iuxta arcam Dei«: eo quod »extendit Oza manum ad arcam Dei, »et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves et »declinaverunt eam« [1]).

Ut autem agnoscamus, quale fuerit peccatum hac in re Ozae, videamus, quid de eo dicant interpretes. Nam ut ait Salianus, »tetigisse ar»cam, et tenuisse in tanto periculo, merito po»tius et pietati, quam culpae adscribendum vi»debatur. Ut si quis non sacerdos cadentem in »terram SS. Eucharistiam, manu excipiat, ne ca»dat«.

I-a Ergo sententia est, ideo peccasse Ozam in hoc facto, quia post nocturnum cum uxore matrimonii usum, etsi licitum, ad arcam accessit. Ita rabbini, et referunt magister historiae [2]). Hugo Cardinalis [3]), Dionysius Carthusianus [4]), Mendoza [5]).

Sed ut ait Sanctius, »qui hoc de Oza »suspicantur, coniecturis ducuntur incertis, ne»que ullum habent in Scriptura fundamentum«. Deinde, etiamsi hoc certum esset, non fuisset peccatum mortale, cum tali legali immunditia accessus ad arcam, quamvis enim per effusionem

[1]) 2. Reg. 6, 6. [2]) Regul. l. 2. c. 9. [3]) In c. 11. Actor. Ap. [4]) Tract. de sacerdotibus curatis seu de vita curatorum tom 1. art. 59. [5]) Tom 2. in 1. Reg. 6, 11. num. 5.

seminis in coitu contraheretur immunditia, quae durabat usque ad vesperam, et ablutione aquae expiabatur [1]) (ideo Bersabee statim post Davidis consuetudinem nocturnam »sanctificata« scribitur »ab immunditia sua« [2]) tamen cum tali immunditia, quae in se peccatum non erat, accedere ad arcam, praesertim in necessitate, et cum pietatis affectu ad eam sustentandam, ne in terram caderet ex plaustro, peccatum mortale esse non potuit, ad summum erat veniale. Sane infinitis partibus SS. Eucharistia est sanctior quam arca, si quis tamen illam sumeret post nocturnam cum uxore consuetudinem licitam, mortaliter non peccaret, multo minus ergo Oza peccavit mortaliter, sacram arcam tangendo.

II-a Sententia est, Ozam peccasse, quia suis numeris debuit potius arcam portare, quam plaustro vehere, uti iussus erat ab Abinadab patre, inquiunt Hebraei, ut refert Hieronymus [3]) quod etiam ipsi placet [4]) et Ruperto [5]), Theodoreto [6]), Procopio, Lyrano, et Caietano.

Sed contra est:

a) quia ut Hebraei [7]) dicunt, etiam fratri Ozae, alteri suo filio Ahio dicto, pater Aminadab im-

[1]) Lev. 15, 16. 18. [2]) 2. Reg. 11, 4. [3]) Trad. hebr. super. 1. Paral. 13. [4]) Ad Sabin ep. 48. et Trad. hebr. super 1. Paral. 18. [5]) In Reg. Lib. 2. c. 28. [6]) Theod. q. 19. in 2. Reg. [7]) Cf. ann. 9.

peraverat gestationem arcae, aeque ergo ad illum pertinebat illam gestare, cum ergo non sit percussus a Deo, sicut Oza, non ideo Oza percussus est, quod omiserit gestationem arcae.

b) Quia si sub poena peccati vel supplicii necesse fuisset arcam humeris gestare, id David et qui cum eo erant innumeri, periti in lege Dei, imperassent: nil tamen tale dixerunt, etsi David, ut dicitur initio [1]) »congregasset omnes »electos ex Israel triginta millia, et cum uni»verso populo de viris Iuda, abiisset ut adduacerent arcam Dei: et imposuerunt eam super »plaustrum novum«. Quocirca omnes isti mori debuissent, si Oza eam ob rem est a Deo extinctus. Quod enim dicunt aliqui, Ozam fuisse autorem, ut arca veheretur, fundamentum in Scriptura nullum habet. Deinde, si haberetur, non tunc dum impedivit, ne arca corrueret, et opus pium fecit, sed tunc dum imponebat eam plaustro, occidi a Deo debuisset, non enim erat vetitum a Deo inclinatam arcam ad ruinam impedire ne ruat, sicut erat praescriptum [2]) ut humeris ferretur, proinde hoc ipso vetitum videri poterat, ne veheretur. Quia tamen defuerunt levitae qui eam ferrent [3]), non peccarunt qui eam vexerunt.

III-a Sententia est, ideo occisum Ozam, quia cum sacerdos non esset, sed tantum levita,

---

[1]) 2. Reg. 6, 1. sq. [2]) Num. 4, 15. [3]) 1. Paral. 15, 12.

ut putat S. Hieronymus [1]), et S. Gregorius [2]), et Theodoretus [3]), (quos Sanctius refutat [4]) ausus est tangere arcam, quod tantum sacerdotum erat. Ita S. Thomas [5]), S. Hieronymus [6]).

Sed contra est, quia arcam portare concessum et levitis, immo illorum id erat munus proprium [7]).

IV-a Sententia est, dicentium, ideo Ozam punitum, quia nudam arcam tetigit, quod non licebat nisi sacerdotibus. Ita Serrarius.

Sed contra est:

a) Quia, ut bene ait Abulensis [8]) quando ex uno loco in alium movebatur arca, non erat nuda, sed tribus velata tegumentis, manibus sacerdotum: deinde tradebant eam levitis ex familia Caath ita coopertam, ut neque ab aliis neque ab ipsis levitis videri posset. Ridiculum porro est existimare, inquit Sanctius, ex calcitratione boum, et plaustri inclinatione, aut si qua acrior perflaret aura, detegi potuisse arcam, et elevari velamina. Quis enim credat, levi inclinatione (»bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam« [9]) nudatum iri arcam, quae tanto studio esset a sacerdotibus involuta?

[1]) Epist. 48. [2]) Mor. l. 5. c. 11. [3]) Lib. 80. p. 64. med. [4]) In Num. 20, 21, 22. [5]) Q. 19. q. 1. quaestiunc 3. ad 3. [6]) Ad Eustoch. epist. 22. [7]) Num. 4, 15. [8]) Abul. q. 19. [9]) 1. Paral. 13, 9.

b) Quia etsi nudam tetigisset in tali necessitate repentina, ne in terram caderet, non peccasset mortaliter, sicut nec nunc laicus peccaret, qui hostiam arriperet manu, ne in terram prolaberetur, motus ad hoc affectu reverentiae, uti omnino motus erat Oza.

c) Quia cum imponeretur in plaustrum, tetigerant eam plures, et tunc facilius erat eam nudam tangere, quam dum parum inclinata fuit, bove calcitrante: nec tamen tunc ullus a Deo punitus fuit; alia est ergo poenae causa.

V-a Sententia est, ideo Ozam peccasse, quia cum non esset necesse arcam tangere, quia levis erat inclinatio plaustri, ille tamen tetigit, non maiori reverentia, quam si profanum aliquid tetigisset. Ita Abulensis [1]) in eo peccatum esse ab Oza, quia sine necessitate tetigit et irreverenter. Idem indicat S. Thomas [2]) irreverentiae adscribens eius culpam.

Sed haec irreverentia non potuit esse peccatum mortale sed veniale, ut putant S. Chrysostomus [3]) ubi inter pusilla peccata hoc adfert pro exemplo [4]) Abulensis, Angelomus, Dionysius, Lyranus, Sanctius, Tyrinus [5]).

a) Quia fuit repentinus ille contactus, plane

---

[1]) Q. 10. [2]) II-a II-ae q. 33. a. 4. ad 1. [3]) In ep. ad Gal. c. 1, 7. in illa verba: volunt subvertere Evangelium Christi. [4]) Cf. etiam Chrys. de levium pecc. periculis. [5]) In comm.

ex primo motu factus, dum repente videns arcam veluti casuram ex plaustro vel cum plaustro, inhibuit casum et lapsum.

b) Quia in tanto periculo tetigisse arcam et tenuisse, merito potius et pietati quam culpae adscribendum videtur. Cum ergo culpa fuerit aliqua (ut patet ex poena iustissima Dei) et dicitur [1]), alia non fuit, quam ea, quae assignatur in sacro textu [2]): »Iratusque est indignatione Do»minus contra Ozam, et percussit eum super te»meritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei«.

Quae est ergo ista temeritas? Respondeo primo cum S. Chrysostomo [3]) »eo »quod ministerium ipsi non congruens tunc usur»pavit«.

Respondeo secundo cum Sanctio [4]), temeritatem fuisse, quia extra necessitatem tetigit arcam non sanctificatus prius, id est, non purificatus, quando ob levem inclinationem arcae a bove lasciviente factam, necessarius non erat arcae contactus, uti fuit tunc necessarius, quando iussu Davidis in defectu levitarum (qui eam humeris portare debebant) coactus fuit cum fratre et aliis Arcam plaustro imponere, ideoque tunc occisus non fuit.

Hoc colligo ex sermone Davidis casum hunc referentis levitis, dum e domo Obededom vellet

[1]) Cf. Constit. Apost. l. 2. c. 10. [2]) 2. Reg. 6, 7. [3]) Cf. ann. 3. et 4. [4]) In 2. Reg. 6. n. 23.

arcam transferre ad suam civitatem. Nam David vocavit [1]) sacerdotes duos et levitas sex, ex dixit eis: »Vos qui estis principes familiarum leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris et afferte arcam Domini Dei Israel »ad locum qui ei praeparatus est: ne ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos »Dominus, sic et nunc fiat illicitum quid nobis »agentibus. Sanctificati sunt ergo sacerdotes et »levitae, ut portarent arcam Domini Dei Israel: »Et tulerunt filii Levi arcam Dei sicut praeceperat Moyses iuxta verbum Domini humeris »suis in vectibus«. Hoc autem verbum extat [2]). Ob solum ergo defectum purificationis Mosaicae, Oza divinitus occisus est, quia ea non praemissa, ausus est extra magnam necessitatem tangere arcam parum inclinatam, etsi id ex pio erga eam affectu fecerit. Et h o c est, quod S. Chrysostomus appellat eius ministerium ipsi pro illo tempore non congruens.

Omissio tamen, in hoc casu, purificationis, non videtur fuisse peccatum mortale, quia purificationes istae non videntur adeo graviter obligasse conscientiam ad reatum peccati mortalis, in subitu casu et necessitate, in qua tunc fuit Oza, dum superveniente Davide cum comitatu triginta milium ex Israel, et universo populo ex viris Iuda, coactus fuit ex domo patris sui Abi-

[1]) 1. Paral. 15, 11. sq. [2]) Num. 4, 15.

nadab, arcam plaustro imponere, non habens tunc tempus liberum, quo se aquae ablutione purificare posset ad arcae impositionem. Nec mihi videtur maius peccatum illius fuisse, quam si quis ad sacrum accederet sine confessione, passus aliquam illusionem nocturnam, cum aliquo peccato veniali solo coniunctam, ac proinde cum irreverentia crassa erga SS. Eucharistiam. Quamvis enim peccatum veniale non sit materia necessaria confessionis, secundum se spectatum, tamen quando coniungitur cum aliqua irreverentia foeda, non ob necessitatem materiae, sed ob respectum divinae puritatis, potest omissio confessionis esse peccatum veniale. Ideo S. Geraldus Comes, ut scribit in eius vita S. Odo, Cluniacensis monasterii secundus Abbas [1]), eum post nocturnam illusionem, quae dormienti ac nolenti accidebat, vestes mutare, corpus et balneis et lacrymis abluere consuevisse: deinde S. Odo sic exlamat: »Stultum forte videbitur hoc »eius factum, sed illis plane, quorum coenosa »mens vitiorum sordes exhalat«.

Occisus est itaque divinitus Oza morte subitanea, ob irreverentiam arcae exhibitam, per contactum eius non praemissa purificatione ab aliqua immunditia legali. Qua in re, ut cognoscamus quantopere exosa sint Deo

[1]) Cap. 34.

peccata venialia in operibus ad cultum eius spectantibus, aliqua adhuc ponderanda sunt.

a) Nullam immunditiam legalem ex rebus non malis natura sua ortam et purificatione Mosaica opus habentem, fuisse tantam impuritatem, quanta est in quovis peccato veniali, quod in cultu Dei committi solet ordinarie, etiam a lacis, et extra missae sacrificium quoque in consuetis precibus. Peccata enim haec sunt ex se mala, non sic immunditiae legales, quarum aliquae, ut notat Cornelius[1]) erant peccata, non natura sua sed quia erant vetitae a Deo, uti erat: »comedere carnes immundas, sanguinem, adipem, morticinium, vel laniatum a bestiis[2], item tangere »morticinia immundorum et reptilia«[3]). Immo nequaquam immunditiis legalibus animam fuisse solitam contaminari, aut reddi foediorem, praecise ex illis solis legalibus immunditiis: (abstrahendo a prohibitione Dei) qualis v. g. contrahebatur ex contactu leprosi, seminiflui, cadaveris, et similibus rebus in se non malis: uti erat pati lepram, menstrua, fluxum seminis: »quae«, inquit Cornelius[4]) »non erant peccata, sed tantum »inducebant quandam irregularitatem legalem »talibus, ut non possent ingredi sanctuarium »ante sui expiationem, quae eis erat praecepta. »Itaque non peccabant in ipso contactu et con-

[1]) In Num. 4, 15. et Lev. 11, 43. [2]) Exod. 22, 31 et Levit. 22, 9. [3]) Levit. 11, 43. [4]) In Num. 4, 15.

»tamitione sui, sed in neglectu expiationis prae»ceptae, si videlicet stato tempore se non ex»piarent«. Ideo Apostolus[1]) remedia omnia veteris legis, tum sacrificia et oblationes, tum purificationes, quas appellat baptismata, docet animabus non profuisse per se: »Munera«, inquit, et »hostiae« (scilicet veteris legis, de quibus eo in loco loquitur) »offeruntur, quae non »possunt iuxta conscientiam perfectum facere »servientem; solummodo in cibis, et in potibus, »et variis baptismatibus, et iustitiis carnis, usque »ad tempus correctionis impositis«. Et infra[2]): »Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae »aspersus inquinatos sanctificat ad emundatio»nem carnis«. Deinde de Christi sanguine abluente peccata addit[3]) eo ipsam conscientiam emundari a peccatis eam contaminantibus: »quanto magis sanguis Christi emundabit con»scientiam nostram ab operibus mortuis, ad ser»viendum Deo viventi«.

Quocirca si immunditia legalis Ozae, solam eius carnem maculans, adeo displicuit Deo in contactu rei sacrae, quanto magis quodvis peccatum veniale, maculans animam vere et realiter displicet Deo dum committitur vel adfertur in nobiliore actione quam sit contactus arcae, vel dum eo irreverenter tractatur Deus quem in oratione alloquimur, vel caro Christi in missa, quam

[1]) Hebr. 9, 9. sq. [2]) Ibid. ver. 13. [3]) Ibid. ver. 14.

toties tangimus, infinitis partibus praestantior quam sit arca.

b) Quaevis legalis immunditia, purificatione Mosaica egens, expiabatur remediis, ad quae comparanda non erat necessarium ullum supernaturale Dei auxilium et gratia Christi, sed solus concursus naturalis Dei, ut autoris naturae, quo concurrebat ad ablutionem aquae, et ad alias purificationes motu locali comparatas et adhiberi solitas; sed ad abolendam maculam quamvis peccati venialis, omnino necessarius est concursus Dei supernaturalis, ut autoris gratiae, suppeditans ob Christi merita, illa supernaturalia media per quae abolentur maculae peccatorum venialium in anima relictae, iuxta diversas sententias theologicas: Abolentur enim peccatorum venialium maculae, vel per actus virtutum contrarios et supernaturales, incompossibiles cum peccato, vel per contritionem proprie dictam, uti putat Vasquez (etsi immerito) vel per Sacramentorum usum adhibitum, sine affectu ad illa peccata, quae quis sibi optat remitti. Ad haec autem omnia necessaria sunt auxilia supernaturalia gratiae, quia sunt actus supernaturales qui viribus naturae non possunt fieri, ita ut prosint ad emundationem animae a minima culpa unius solius levissimi peccati venialis.

Quocirca, si una sola immunditia legalis, quae solis naturae viribus a quovis facile expiari potest, adeo displicuit Deo in contactu rei sacrae

permanens in Oza, quanto magis displicet Deo quaevis minima macula peccati venialis, solius Christi sanguinis merito applicato, per auxilia divinae gratiae expiabilis, dum ea non expiata prius, vel, quod peius est, de novo contracta, accedimus ad Deum in oratione, ad Christi corpus in missa, praestantius arca, et per praestantiores actiones, quam sit ille pius contactus arcae labentis, ideoque exigentes maiorem munditiam et puritatem ab iis qui ad orationem et missae sacrificium accedunt.

c) Ponderaudum est, ceteris paribus, magis displicere divinae maiestati actiones offensivas illius, factas, ut dicunt Itali, sanguine frigido, hoc est, deliberate, sine impetu repentino, sine urgente necessitate, quam eas, quae insperate et repente et sine praemeditatione, et in talibus angustiis, et in tali necessitate accidunt, quae declinari nequeat, nec dant tempus huiusmodi ad quaerendum remedium et adinveniendi modum, quo desistere tunc et statim possit a tali actione. Ratio theologica a priori est, quia illae actiones priores, sunt magis voluntariae magisque liberae, et ideo maiora peccata, magis Deum offendentia. Actio enim quo magis voluntaria, et bonitatem et malitiam auget, ut dicit S. Thomas. Hinc sequitur, omnes nostros defectus qui a nobis committuntur in operibus divini cultus, esse ex hoc capite maiora peccata, quam fuerit peccatum Ozae, ac proinde maiore

poena dignos: quia committuntur a nobis non coactis tanta necessitate et tam repentino casu, uti contigit Ozae contactus arcae factus non praemissa purificatione.

d) Ponderandum est, magis displicere Deo, ceteris paribus, illam personam, quae saepius eum una eademque in re, eodem in specie peccato offendit, quam qui tantum semel. Si ergo Oza prima vice et tantum semel illa temeraria irreverentia Deum offendit, et mortem subitam promeruit, multo magis nos eum offendimus, offendendo eum non semel in vita, sed saepe in die fortasse, illis irreverentiis et peccatis quae committi solent in operibus divini cultus, et adhuc sunt maiores, ut supra vidimus, quam irreverentia Ozae.

e) Caeteris paribus magis offenditur Deus illis peccatis, quae quis quamvis non semel agnovit a se esse commissa, et tamen ad ea rediit sponte et deliberate, quam illo solo, quod committens non putabat se peccare, sed bene facere, quamvis id ortum sit ex ignorantia culpabili. Maior enim est audacia, maior impudentia, maior ingratitudo, maior contemptus Dei, saltem materialis, in reditu ad peccata agnita, quam in eo, qui semel tantum peccavit in re aliqua, cum prius non agnoverit in se tale aliquod peccatum a se prius commissum, quia prius tale nunquam commiserat. Tale fuit peccatum Ozae, nostra vero non sunt talia, sed agnita non semel, et

quorum fugam etiam Deo non semel promisimus. Redeundo ergo ad ea toties, ceteris paribus magis Deum offendimus, quam offenderit Oza, ac proinde maiore poena digni sumus quam ille.

f) Ponderandum est, peccata illa, quae in se habent speciem pietatis et devotionis et reverentiae erga Deum, orta ex bono zelo etsi indiscreto, et non secundum scientiam, ceteris paribus, esse minora illis, quae in se non habent ullam speciem bonitatis et pietatis, nec oriuntur ex zelo et pio etsi indiscreto affectu, sed vere per se et natura sua, primo aspectu apparent mala intrinsece, et pudorem ac confusionem incutiunt, et ab omnibus, si scirentur, improbarentur. Talia sunt peccata quae homines committunt in cultu Dei, curiositates oculorum, distractiones, irreverentiae in situ, in modo pronunciationis verborum, in gestibus et motu corporis, interruptiones orationis, et horarum canonicarum sine urgente necessitate, quandoque colloquia vana, risus, ioci adhibiti, ante audientiam a Deo nobis concessam et praescriptam, usque ad absolutionem perfectam horarum canonicarum. Quae omnia etiam in audientiis coram rege concessis, a quovis barbaro et ethnico vehementer improbarentur, et nullam prorsus speciem pietatis prae se ferrent, sed omnia contraria, uti prae se ferebat factum Ozae. Praeterea, omnia talia procedunt non ex pio affectu et zelo, uti factum Ozae processit, sed ex

intrinsece malo principio. quod semper est malum, in omnium sententia. Procedunt enim omnia peccata in divino cultu committi solita, vel ex pigritia, vel ex negligentia, vel ex effusione cordis inordinata ad res creatas, vel ex acedia, vel ex somnolentia non excussa, vel ex parva aestimatione rerum divinarum, vel ex vanitatis affectu, vel ex inobedientia aliqua, vel ex oblivione culpabili, vel ex negligenti custodia sensuum aut cordis: vel ex nimia sollicitudine et nimio affectu erga aliquam aliam occupationem, cuius gratia committimus aliquem defectum in orationibus nostris, vel missae sacrifitio. Certissimum enim est, quemlibet nostrum defectum in divino cultu, ab aliqua ex dictis causis et principiis, intrinsece malis provenire. Neutrum autem erat in peccato Ozae. Quocirca confundamur, quia magis quam ille et saepius Deum offendimus, et maiori supplicio digni sumus: ideoque etiam ex hoc motivo vitemus omnes Dei offensas in divini cultus functionibus. Et imprimamus nobis illa praeclara verba S. Ambrosii[1]): »Quando »magis ab iniustis operibus ac pravis studiis ab»stinere debemus, quam tunc, quando Dei iusti»tiam deprecamur«, Dei qui futurus est iudex noster, peccata nostra omnia in iudicio suo examinaturus, et in hac vita non expiata, puniturus in altera, et redditurus unicuique iuxta opera sua?

[1]) De Cain et Abel lib. 2. c. 6.

CAPUT XIV.

De fuga peccatorum mortalium.

Cum P. Antonius Padilius, ut scribitur in vita P. B. Alvarez[1]): »aegrotaret, timidum»que se ostenderet, Pater quidam adeo timidum »videns, interrogavit, an aliquem remorsum sen»tiret ob aliquod lethale peccatum, in quadra»ginta annis, quibus fuit in Societate, commis»sum? Respondit: Iesu quantum monstrum hoc »esset: religiosus et peccatum mortale? Non est »cur hac de re agatur«. Merito id dixit: quia ut ait S. Basilius[2]): »Qui nuntium saeculo re»misit, hic Deo custodire seipsum debet, veluti »eorum aliquid, quae dicata sunt Deo, ne sacri»legii iudicium incurrat: cum videlicet corpus »quod semel Deo consecravit, in ministerio rur»sum communis vitae contaminet«.

Quoniam vero daemon magis satagit religiosos ad peccata mortalia allicere, »quem admo»dum latrones«, ut ait S. Chrysostomus[3]) »non ubi foenum et paleae, et calamus, sed ubi »aurum et argentum, ibi fodiunt et continuo vi»gilant: sic et diabolus his maxime instat, qui »spiritualia attingunt negotia. Ibi multae insi-

[1]) Cap. 20. §. 2. [2]) De monachi instit. serm. 1. [3]) Ad pop. h, 1.

»diae, ubi multa virtus«. Ideo attendendum est nobis: nam status in quo sumus, ni nobis continuo attenderimus, non defendet nos, etsi multa suppeditet auxilia, et omnia excluserit impedimenta virtutum. »Multos enim habemus hostes«, ut ait S. Bernardus[1]) »carnem, qua nullus »potest esse vicinior hostis: praesens seculum »nequam, quod undique circumfusum est nobis: »principes tenebrarum, qui viam nostram obsi»dent in aëre collocati«. Sed etsi alii hostes deessent, ipsa caro est tanto periculosior, quanto intimior, quia inseparabilis est nobis. »Est enim«, ut ait S. Ambrosius[2]): »velut origo et locus »quidam voluptatis, ex qua, velut origo a fonte »prorumpunt concupiscentiarum malarumque pas»sionum flumina, lateque exundant, quibus de»mergitur animae quoddam excusso gubernatore »remigium, cum ipsa mens, velut quibusdam tem»pestatibus et procellis victa loco suo cedit«. Nostram carnem appellat[3]): »Libidinum volutabrum, diversoriumque vitiorum«, quem eius locum citans S. Augustinus[4]) valde complacet sibi, eumque repetit.

Ne autem a procellis tentationum vincatur anima, praesertim »a cogitationibus«, uti eas appellat S. Bernardus[5]): »limosis fortius ad-

---

[1]) In Vig. Nativ. ser. 2. n. 2. [2]) De Arca et Noe c. 5. [3]) Lib. 7. in Luc. 12. [4]) Contra Iul. Pelag. l. 2. c. 5. [5]) Ser. de solic. cura cogit. nr. 2. et 3. pass.

»haerentibus nobis, quam sint otiosae, illis in»quam, quae sunt de cibo, potu sive vestimento »et aliis immundis nimis ac foetidis, quae non »sunt tanquam lutum aut limus, sed tanquam »immundissimum ac foetidissimum coenum, quod »nec admittere quidem ulla ratione debemus, »sed a longe praesentire foetorem, et tota vir»tute repellere, toto animo propulsare, et con»verti statim ad gemitus, lacrimis atque suspi»riis invocantes Spiritum qui adiuvet infirmita»tem nostram«, ne inquam ab his ad peccatum aliquod mortale adducamur, his nos iuvemus praesidiis:

I⁰ Dei praesentis et omnia nostra videntis memoria. Nam, ut ait S. Chrysostomus[1]): »Si hominem cum praesentem intuemur, tum ad »peccandum tardiores reddimur, saepe autem et »servos modestiores subveriti, absurdi nihil ad»mittimus: considera quantam adepturi sumus »securitatem, si nos contigerit Deum assidue in »oculis ferre? Quis enim unquam«, inquit S. Basilius[2]): »eorum, qui credunt Deum in omni »loco esse, et iis rebus, quae fiunt interesse, ac »adesse unicuique actioni, voluntatesque cordium »prospicere, aut cogitationem pravam suscipiet, »aut scelera patrabit? verum, tum primum ho»mines ad scelera patranda descendunt, cum aut »Deum non inspicere, aut illi curae non esse,

[1]) Hom. 4. in epist. ad Rom. [2]) De precatione or. 2.

»quae hic geruntur autumant«. Ideo S. Susanna, quia Deum praesentem et omnia cernentem credebat, peccato non praebuit assensum, etsi videret se mortis incurrisse periculum. »Angu»stiae«, inquit[1]: »sunt mihi undique: si enim »hoc egero, mors mihi est« : (scilicet animae) »si »autem non egero, non effugiam manus vestras: »sed melius est mihi absque opere incidere in »manus vestras, quam peccare in conspectu Do»mini«.

II-um Praesidium suggerit S. Bernardus[2]): »Ne a memoria repellat Deum irruens turba »plurimarum cogitationum, quae solent effluere »tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad eius »portam ianitor, cuius nomen est, recordatio »propriae professionis; ut cum turpibus sese co»gitationibus senserit animus praegravari, incre»pet se, et dicat sibi: Tune haec debes cogitare, »qui sacerdos es, qui clericus es, qui monachus »es? Cultor iustitiae debet in se quidquam ini»quum admittere? Decet servum Christi, amato»rem Dei, tale aliquid ad modicum meditari? »Haec dicendo, excludet fluxum illicitae cogita»tionis per recordationem propriae professionis«.

»Similiter ad portam voluntatis, in qua »solent manere carnalia desideria, tanquam in »domo domestica familia, statuatur ostiarius, qui „vocatur: recordatio coelestis patriae. Hinc enim

[1]) Dan. 12, 22. 23. [2]) Serm. de triplici iudicio.

»potest pravum desiderium, quasi cuneus cuneum, »expellere, et ipsum qui ait: Ecce sto ad »ostium, et pulso[1]): sine cunctatione reci»pere«.

»Iam vero ad thalamum rationis, talis et »tam ferox adhibendus est custos, qui nemini »parcat, sed quicunque hostis sive clam sine pa»lam ingredi praesumpserit, procul eum arceat: »et hic sit: recordatio gehennae: In ceteris si»quidem, id est, memoria et voluntate, non ita »est intolerabile, si vel memoria recipiat quan»doque vagam cogitationem, vel voluntas impu»ram affectionem. Hoc vero gravissimum et »omnino damnosum, si unquam ratio perdiderit »rectitudinem intentionis«.

III° Aliud remedium S. Antonius, teste S. Athanasio in eius vita[2]) dabat: considerationem incertitudinis vitae nostrae, quae quando minus putamus, deficere potest: »Apostoli«, inquit, »praecepta replicemus qui se mori quotidie te»stabatur: similiter et nos humanae conditionis »vitam ancipitem retractantes, non peccabimus. »Cum enim excitati a somno, ad vesperam nos »pervenire dubitemus, et quieti corpora nostra »concedentes, de lucis non confidamus adventu, »et ubique naturae ac vitae incertae memores, »Dei nos providentia intelligamus gubernari: hoc »modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupi-

[1]) Apoc. 3, 20. [2]) Cap. 15.

»ditate raptabimur; sed nec irascemur quidem »adversus aliquem; quin potius metu quotidiani »recessus, et seiungendi corporis, iugi medita»tione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mu»mulierum amor, libidinis extinguetur incendium, »invicem nobis debita nostra donabimus, ante »oculos semper habentes ultimae retributionis »adventum: quia maior formido iudicii, et poe»narum timor horridus simul et lubricae carnis »incentiva dissolvit, et ruentem animam tanquam »ex aliqua rupe, sustentat«.

IV⁰ Sed his omnibus maiora motiva sunt vitandi peccati mortalis: effectus eius.

a) Perditur enim Deus inhabitans in nobis tanquam in carissima sibi domo, et benevolo corde nos et nostra spectans, tanquam amicorum sibi carissimorum: et tantum remanet ob suam immensitatem, eo modo quo remanet in diabolis et damnatis, non tam laetus, uti in bestiis quas non odit. »Odio autem est Deo impius et impie»tas eius«.

b) Perditur Dei gratia cum omnibus virtutibus et donis Spiritus Sancti et meritis.

c) Perditur ius ad regnum coelorum.

d) Fit homo sub potestate diaboli, reus poenarum aeternarum inferni.

e) Reddit se indignum omni Dei favore etiam naturali, et ex se impotentem ad salutem.

f) Fit foedior, foetentior omnibus spurcitiis huius vitae, abominabilis Sanctis.

V⁰ Vitanda sunt ergo peccata omnia vitae spiritualis sectatori, tum alias ob causas, tum ob hanc potissimum, huius temporis calamitatibus congruentem, quia ob peccata mortalia, et ob sola venialia, ab uno solo, aliis non consentientibus commissa, Deus solet talibus calamitatibus affligere regna, qualibus videmus affligi hoc regnum a triginta annis. Tribus exemplis id ostendam; unum erit de peccato mortali, duo de veniali.

Exemplum peccati mortalis ob quod Deus alios, et non tantum non consentientes, sed prorsus inscios punivit, recensetur [1]), ubi narratur furtum Achan, commissum ex spoliis captae Iericho a Iosue, per simplicem promissionem, oblatis Deo, ut reponerentur in thesauris eius [2]). Cum ergo Achan tulisset ex anathemate, furtive, »pallium coccineum valde bonum, et du»centos siclos argenti« (id est 200 fl. Belgicos, ut Tyrinus cum aliis supputat) »et regulam au»ream quinquaginta siclorum [3]), iratus est Dominus »contra filios Israel« [4]). Ad cuius peccati gravitatem, quam sit noxium quodvis poccatum mortale communitati, cognoscendam, ponderanda sunt haec:

I⁰ Res furto ablatae, nondum erant traditae Deo, quia ut ait S. Basilius [5]): »Nondum

[1]) Ios. 7. [2]) Ibid. 6, 19. [3]) Ibid. 7, 21. [4]) Ibid. ver. 1. [5]) Oratio de peccato.

»erant in Synagogam illatae, neque adhuc ab »iis, qui huic muneri praeerant receptae«, sed ut dicitur [1]): »Inter spolia, inventae et in loco spo»liorum acceptae«: et comparatae cum magnitudine spoliorum relictorum, adeo exiguae, ut loco citato dixerit S. Basilius eum: »paululum quid»dam avertisse et [2]) Achan tulit aliquid de ana»themate«.

II° Non consumpserat nec alienaverat res illas Achan, sed integras reservaverat, facile invenibiles; nam »absconderat in terra, contra me»dium tabernaculi sui, argentumque fossa humo »operuerat«; ideoque facile postea omnia inventa et recuperata sunt a ministris a Iosue missis [3]) atque ita nullum damnum passi sunt thesauri Domini, quibus obtulerat Iosue quandam partam spoliorum, scilicet, »aurum et ar»gentum« [4]); et tamen Deus iratus est.

III° Solus tantum Achan, nullo alio conscio, res illas absconderat; hinc dicitur [5]): »Achan tu»lit aliquid de anathemate«, et per sortes iactas ille solus deprehensus est peccasse [6]). Deus tamen ad ostendendum quod unius solius peccatum communitati noceat, scribi voluit, et sic ipse dictavit scriptori libri Iosue [7]): »Filii Israel »praevaricati sunt mandatum, et usurpaverunt »de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et

[1]) Ios. 7, 21. [2]) Ibid. 1. [3]) Ibid. 21. sq. [4]) Ibid. 6, 19. [5]) Ibid. 7; 1. [6]) Ibid. 18. [7]) Ibid. 1.

»absconderunt inter vasa sua«. Tria peccata Deus adscribit filiis Israel: furtum, mendacium, absconsionem furti; et causam subdit statim: »Nam »Achan tulit aliquid de anathemate«. Quo eventu, statim additur: »iratusque est Dominus, »contra filios Israel«. Hoc enunciato non contentus Deus, postea alloquens Iosue [1]) condemnat tanquam sceleris reos omnes iterum: »Peccavit »Israel«. Nec hoc contentus addit: »Et praeva»ricatus est pactum meum«, et omnibus non tantum uni Achan adscribens furtum, subnectit: »Et tulerunt de anathemate«. Cur hoc? Quia unius peccatum, nocet etiam innocentibus et communitati.

IV⁰ Quamvis Deus non iusserit res illas sibi offerri, sed solus Iosue [2]), tamen Deus contrario facto ait violatum fuisse suum mandatum: »Isra»el praevaricatus est pactum meum« [3]) ut discamus, Deum irasci et punire communitates ob unius solius inobedientiam commissam contra decretum vel ordinem etiam non immediate a Deo, sed a solis superioribus promulgatum, etiam circa res non necessarias ad salutem vel perfectionem, sed mere liberas, et quae non statui possent, sed ad melius esse, ut dicunt, statuuntur ex pio spontaneoque affectu erga Deum, et rerum divinarum ornatum et splendorem. Talis

[1]) Ios. 7, 11. [2]) Ibid. 6, 17—19. [3]) Ibid. 7, 11.

enim erat ista oblatio spoliorum a Iosue facta pro augendis thesauris Domini [1]).

Videamus nunc quomodo Deus punivit hoc peccatum.

a) Magna poena est, quod: »iratus est »Dominus contra filios Israel« [2]). Magna calamitas est, habere sibi iratum Deum, maior meo iudicio, quam puniri aliis poenis a Deo. Sicut filii boni et prudentes magis sentiunt iram patris quem amant, et quem nolient unquam offendere et contristare quam puniri, et, si daretur optio, mallent puniri graviter, dummodo non viderent nec scirent contra se iratum Deum. Ideo merito petebat Abraham a Domino, quem amabat, volens pia curiositate rescire, an puniturus esset Sodomam si in ea decem iusti invenirentur: Obsecro, ne irascaris Domine, si loquar adhuc »semel etc.« [3]): Si enim ob rem non malam Deo proponendam, non alias poenas sed solam Dei iram extimuit Abraham adeo carus Deo, ut tanquam glorioso titulo Deus ipse se insignire voluerit, saepe dicens: »Ego sum Deus Abraham »etc.« quanto magis ira Dei ex peccatis nostris occasionem habens, gravissima poena et calamitas est, et reputari debet apud homines, qui non sensu, ut bellua, sed recta ratione ducuntur!

[1]) Ios. 6, 19. [2]) Ibid. 7, 7. [3]) Gen. 18, 32.

Sic etiam dilectus Dei famulus Moyses, cum intellexisset, populum sibi commissum, adoratione vituli idololatrica offendisse Deum, nil aliud Deo dixit[1]) orans Dominum Deum suum: »Cur »Domine irascitur furor tuus contra populum »suum, quem eduxisti de terra Aegypti in forti»tudine magna, etc.«: et Deus ipse ante hanc eius orationem[2]) ei dixit: »Cerno quod populos »iste durae cervicis sit, dimitte me, ut irascatur »furor meus contra eos, et deleam eos«: (et quasi volens id impetrare a Moyse, oblata ei promissione rei speciosae et honorificae, subdit): »faciamque te in gentem magnam«. Ita et homines Dei, et Deus ipse pro re magni momenti habent, si alicui irascatur Deus. Magna ergo erat poena furti Achan, ira Dei exorta contra filios Israel. Ideo hoc modo et Gedeon miraculum petiturus a Deo ostensivum rei futurae quam scire cupiebat, dixit Deo[3]: »Ne irascatur »furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero »signum quaerens in vellere etc.«

b) Secunda poena Dei fuit clades illata ab urbe Hai tribus milibus militum contra eam a Iosue missis, post indagatam oppidi Hai conditionem per exploratores ab eodem antea missos, qui circumspectis rebus omnibus suadebant Iosue[4]): »Non ascendat omnis populus, sed duo

[1]) Exod. 32, 11. [2]) Exod. 32, 9, 10. [3]) Iudic. 6, 39. [4]) Ios. 7, 3. 4.

»vel tria millia pugnatorum pergant et deleant »civitatem: quare omnis populus frustra vexabi»tur contra hostes paucissimos? Ascenderunt »ergo tria milia pugnatorum«. Sed malo successu, nam subditur [1]): »Qui« (scilicet pugnatores) »statim« (ponderate verba singula) »terga »vertentes, percussi sunt a viris urbis Hai, et »corruerunt ex eis triginta sex homines, perse»cutique sunt eos adversarii, de porta usque ad »Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes«.

c) Tertia poena fuit: quia visa clade illa populus Israeliticus adeo animo concidit, ut dicatur [2]): »pertimuitque cor populi et instar aquae »liquefactum est: non tam propter amissos«, inquit Iosephus [3]) »tametsi omnes viri fortes et ho»nore digni fuerant, quam propter desperatio»nem«, quam Scriptura liquefactione cordis expressit; ut: »Sicut aqua effusus sum, et dispersa »sunt omnia ossa mea, factum est cor meum tan»quam cera liquescens, in medio ventris mei« [4]). Et »fortissimus quisque, cuius cor est quasi leo»nis« (quales scilicet fuerant missi a Iosue) »pavore solvetur« [5]). Magna Dei poena est, tantus metus in totum exercitum Iosue immissus, adeoque omnes consternans, ut cor omnium instar aquae liquefactum fuerit. Nam, ut ait S. Chrysostomus [6]): »Innumeris mortibus gra-

[1]) Ios. 7, 5. [2]) Ibidem. [3]) Lib. 5. c. 1. [4]) Psalm 21, 15. [5]) 2. Reg. 17, 10. [6]) Hom. 5. ad pop.

»vior est timor et trepidatio. et ipsius Cain »poena, apta etiam ad reddendum propitium »Deum si eum irritassemus«. Nec tamen eum placavit, ut paulo post videbimus. Ideo Deus inter minas et calamitates ob peccata inimicis suis intentata, immittit metum et timorem adversariorum: »Robustos Moab obtinuit tremor [1]) »Foris vastabit eos« (scilicet Hebraeos) »gladius »et intus pavor« [2]). Quin et Iob inter suas calamitates hanc quoque recenset [3]): »Terrores Do»mini militant contra me«.

d) Quarta poena fuit consternatio ipsius quoque Iosue fortissimi herois et exercituum Dei ducis, et omnium procerum populi Dei. Audita enim clade suorum: »Iosue scidit vestimenta »sua, et pronus cecidit in terram, coram arca »Domini, usque ad vesperam, tam ipse quam »omnes senes Israel: miseruntque pulverem su»per capita sua« [4]).

e) Quinta poena, revocatio divinae promissionis factae Iosue, non verbis sed facto ipso, seu non adimpletione promissionis ostensa. Nam

α) Deus promiserat: »Nullus poterit vobis »resistere, cunctis diebus vitae tuae« [5]), atqui cives urbis Hai restiterunt.

β) Deinde ibidem addit Deus: »Sicut fui cum »Moyse ita ero tecum«; atqui cum Moyse ita

[1]) Exod. 15, 15. [2]) Deut. 32, 25. [3]) Cap. 6, 4. [4]) Ios. 7, 6. [5]) Ibid. 1, 5.

fuit, ut suos hostes vicerit primo Amalecitas [1]), »et Sehon regem Amorrhaeorum [2]), et Og regem »Basan« [3]) et alios.

γ) Addit adhuc aliam promissionem ibidem: »Non dimittam nec derelinquam te«.

δ) Promissionibus his addit praeceptum quoddam, quo eum animat et erigit ad spem certam auxiliorum divinorum sibi adfuturorum [4]): »Ecce »praecipio tibi, confortare, et esto robustus: noli »metuere, et noli timere, quoniam tecum est »Dominus Deus tuus, in omnibus, ad quaecunque perrexeris«. Et tamen post peccatum ab Achan commissum deseruit eum Deus in oppugnatione urbis Hai. Tanti momenti peccatum est, ut Deum cogat promissiones suas ne impleat, etsi tam significanter repetitas, et Iosue inculcatas: »Deus enim«, ut ait S. Chrysostomus [5]): »sicut ei propriam exhibentibus gratitudinem per congruam sibi bonitatem suas Deus »sententias« (scilicet comminatorias) »revocat, »et admittit poenitentes, et ab imminente libe»rat poena: ita rursum cum aliqua dare bona »pollicetur vel praefinitum poenitentiae tempus, »indignos autem videat effectos, et tunc sua re»vocat promissa«. Quod eo mirabilius est, quia ab ipso Deo Iosue erat electus, ut Moysi succederet in regimine politico populi sui [6]).

[1]) Exod. 17, 11. 13. [2]) Deut. 2, 32. [3]) Deut. 3, 3. sq. [4]) Ios. 1, 9. [5]) Hom. 80. ad pop. [6]) Num. 27, 18. sq.

f) Sexta poena, quod Deus non fuerit placatus a Iosue et a senibus, etsi coram Deo prostrati in terram et conspersi pulveribus iacerent usque ad vesperam [1]). Quod Deus pro signo et argumento magnae irae suae ponit [2]): »Inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes »me disperdidisti, clamaverunt ad Dominum, nec »exaudivit eos». Et: [3]) »Invocabunt me, et non »exaudiam«.

g) Septima poena, non tantum Deus non exaudivit eos, sed quodammodo repulit a conspectu suo, eo modo quo rex aliquem sibi diu supplicantem, nolens exaudire, repellit a conspectu suo et abire iubet [4]): »Surge, cur iaces »pronus in terra«. Magna est ista poena et confusio, quam ponderans David, dicebat Deo [5]): »Deus repulisti nos et destruxisti nos«; ideo petit [6]): »Ut quid Domine repellis orationem »meam, avertis faciem tuam a me«? Quod eo magis mirum, cum Iosue vir sanctus fuerit; nam dicitur de eo: »Ille complevit universa: non »praeteriit de universis mandatis, nec unum qui»dem verbum, quod iusserat Dominus Moysi« [7]), et ad imperium eius subitaneum: »stetit sol in »medio coeli, et non festinavit occumbere spa»tio unius diei obediente Domino voci hominis« [8]).

[1]) Ios. 7, 6. [2]) Psalm. 17, 41. 42. [3]) Prov. 1, 28. [4]) Ios. 7, 10. [5]) Psalm. 59, 1. [6]) Psalm. 87, 15. [7]) Ios. 11, 15. [8]) Ibid. 10, 13.

Et ille solus cum Caleb ex tot eductis ex Aegypto ingressus est terram promissionis.

h) Octava poena, novae minae adiunctae [1]: »Non poterit stare Israel ante hostes suos, »eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. »Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, »qui huius sceleris reus est«. Ergo iam fatetur Deus, unum illorum esse reum sceleris, et tamen omnes vult ob id deserere, ni illum puniant.

i) Nona poena, ad publicandum magis peccatum, quod erat causa irae illius divinae, et ad infamandum magis reum furti illius, noluit Deus per se indicare nomen rei, sed iussit sortibus quadruplicibus investigari scelestum:

α) Iactis super singulas tribus.

β) Super cognationes seu familias singularum tribuum.

γ) Super domos singulas illarum familiarum.

δ) Inventa domo super viros illius domus, et sic deprehensus est Achan solus reus sceleris [2].

k) Decima poena genus mortis duplicis, lapidatio Achan, et combustio totius substantiae eius, Dei iussu executioni mandatum [3]: »Tollens »enim Iosue Achan, argentumque et pallium et »auream regulam, filios quoque et filias eius, bo»ves et asinos, et oves, ipsumque tabernaculum, »et cunctam suppellectilem (et omnis Israel cum »eo) duxerunt eos ad vallem Achor; ubi dixit

[1]) Ios. 7, 12. [2]) Ibid. 7, 14. [3]) Ibid. ver. 24. 25.

»Iosue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus »in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel. et »cuncta quae illius erant, igne consumpta sunt. »Et aversus est furor Domini ab eis«. Atque ita, inquit S. Chrysostomus[1]: »Iosue perdi»dit una omnes, non eum solum« (Achan) »qui »peccaverat, sed cognatos quoque et propin»quos, omnemque familiam cum pecorum multi»tudine«.

Ita unius peccatum etiam innocentibus pecoribus, et filiis, ac filiabus, mortem violentam et infamem induxit, iusto iudicio Dei, qui cum sit Dominus vitae nostrae, licet ei etiam innocentes morte afficere ad ostendendam iustitiam suam et ut avertat homines a peccatis, ita S. Augustinus[2]), et S. Thomas[3]).

Et adhuc peius esset, si Achan damnatus est, uti putat Cassianus[4]), et concilium Aquisgranense sub Pipino, etsi dubitet S. Augustinus, alii vero putent salvatum, quia poenituit eum, dixit enim: »Vere ego peccavi Domi»no Deo Israel, et sic et sic feci«[5]). Non est tergiversatus, nec aufugit, quae sunt signa contriti animi.

Ex hoc facto duo quoad nos attinet discamus.

I° Si violatio praecepti a Iosue lati tanto

[1]) De provid. l. 3. [2]) In Ios. qu. 8. [3]) II-a II-ae qu. 108. a. 4. [4]) Cass. Coll. 1. c. 20. [5]) Ios. 7, 20.

pere nocuit et populo Dei et Achan, eiusque proli, multo magis violatio praeceptorum a superioribus nostris latorum, quibus magis subiecti sumus, quam fuerint Israelitae Iosue, nam etiam animas nostras illis regendas commisimus, in quas Iosue ius non habuit, et quorum praecepta tum scripta in regulis, tum viva voce tradi solita, toties promisimus nos servaturos, quod Israelitae hoc modo non promiserant Iosue.

II° Si res nondum Deo actu consecratae et traditae, quia tantum destinatae fuerunt pro thesauris Domini, induxerunt peccatum adeo Dei offensivum, et perniciosum populo toti Dei, multo magis peccata contra vota, per quae Deo re ipsa tradidimus, corpus nostrum per castitatem, res externas per paupertatem, et propriam voluntatem ac libertatem per obedientiam, si violentur, sunt causa iustissima gravissimorum supplicio-rum. Quis autem scit, an non sint aliqui, si non hic inter nos, saltem alibi in provincia, qui peccato aliquo contra votum aliquod commisso, Deum offenderunt, et calamitatum huius regni et provinciae sunt causa?

Nam si S. Dominicus de se dicebat cum aliquam urbem ingrederetur, »ingredi flagellum »Dei« et S. Catharina Senensis, omnes calamitates mundi suis peccatis venialibus adscribebat, quanto magis eae adscribendae sunt nostris, si aliquod tale commisimus, quale nunquam S. Dominicus et S. Catharina commisit,

quae conservavit gratiam baptismalem. Quocirca longe potiori iure de nobis dicere possumus id quod innocentes illi pueri in ignem Babylonicum iniecti dicebant[1]): »Iustus es in omnibus quae »fecisti nobis. Iudicia enim vera fecisti iuxta »omnia quae induxisti super nos, et super civi»tatem sanctam patrum nostrorum, quia in veri»tate et in iudicio induxisti omnia haec propter »peccata nostra. Peccavimus enim et inique egi»mus, recedentes a te, et deliquimus in omnibus, »et praecepta tua non audivimus, nec observa»vimus, nec fecimus sicut praeceperas nobis, ut »bene nobis esset. Omnia ergo quae induxisti »super nos, et universa quae fecisti nobis in vero »iudicio fecisti, et tradidisti nos in manibus ini»micorum nostrorum iniquorum et pessimorum, »praevaricatorumque etc.«. Sed quamvis nullus nostrum unquam Deum ullo mortali offendisset peccato, satis est unum veniale, ad has, quas modo patimur in hoc regno his annis calamitates.

[1]) Dan. 3, 27. sq.

LIBER SECUNDUS.

De fuga peccatorum venialium.

CAPUT I.

An et quamdiu possint aliqui iusti adulti, vivere sine peccatis venialibus.

Dico I° neminem iustorum posse viribus propriis, sine divina gratia, abstinere a peccatis venialibus omnibus, seu vivere sine illis. Haec doctrina definita est contra Pelagium a concilio Milevitano[1]) et Tridentino[2]), qui teste S. Hieronymo[3]) et S. Augustino[4]) dicebat, posse tota vita hominem vivere sine peccato ullo. Id expresse damnatum est a S. Ioanne Apostolo[5]): »Si dixerimus quoniam »peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et

---

[1]) Can. 6, 7, 8. [2]) Sess. 6. c. 11. et can. 23. [3]) Contra Pelag. l. 2. et Epist. ad Ctesiph. et contra Iovinianum lib. 2. (Pelagio antiquiorem). [4]) De perfectione iustitiae et de gratia Christi. [5]) 1. Ioan. 1, 8. 10.

»veritas in nobis non est. Si dixerimus, quoniam »non peccavimus, mendacem facimus eum, et »verbum eius non est in nobis«. Ubi de solis peccatis venialibus esse sermonem, ait S. Augustinus[1]). Et certum est, multos in Ecclesia Dei adultos esse sine ullo peccato mortali commisso, ut fatetur ecclesia de S. Petro Martyre ordinis Praedicatorum[2]) et de aliis quibusdam idem scribitur in historiis ecclesiasticis. Idem docuit S. Iacobus Apostolus[3]): »In multis offen»dimus omnes«. Quod de solis venialibus intelligendum, quia sine mortalibus quam plurimi iusti vivunt, et non omnes illis coinquinantur. Sic enim legimus[4]): »Quis potest dicere: mundum »est cor meum, purus sum a peccato?« et alibi[5]): »Non est homo iustus in terra qui non »peccet«; nimirum venialiter, nam innumeri sunt iusti, qui mortaliter non peccant. Pulchre hunc lapsum hominum iustorum describit S. Gregorius Nyssenus[6]): »Cum haec vita, qua per »corpus fruimur, in sensus nostros dividatur, ea »vero quae secundum animum exigitur, in men»tis impetu et motu liberae voluntatis conside»retur, quis adeo magno et excelso animo, quis »tanta prudentia praeditus, quis tanti spiritus

[1]) Contra duas ep. Pelag. lib. 3. c. 3. et de nat. grat. c. 36. [2]) Breviar. Rom. 29. Apr. lect. 5. [3]) Iac. 3, 2. [4]) Prov. 20, 9. [5]) Eccle. 7, 21. [6]) Lib. de orat. in Remitte nobis debita nostra.

»est, ut per utramque vitae rationem vitiositatis »ac malitiae contagionem et inquinationem effugiat? quis quod ad oculum attinet, expers »peccati est? Quis quod ad auditum attinet, innoxius? quis ab hac bestiali gulae voluptate »alienus? quis tactu purus et vacuus ab occasione peccati? Nam re vera multis saepe mortibus introeundi locus oculus existit, dum vel »irascentem videt, et ad eandem contra perturbationem incitatur, vel prospera fortuna praeter meritum utentem, et in invidiam exardescit, »vel superbientem, et in odium ruit; vel aliquam »materiam boni coloris, dexterioremve oris ac »formae figuram, et totus ad concupiscendum id »quod placuerit delabitur. Ita auris morti fenestras aperit, et per ea quae audit multos affectus ad animum transmittit, metum, tristitiam, »iram, voluptatem, cupiditatem, risum effusum, et eiusmodi. Porro gustatus voluptas, mater, ut »dixerit aliquis, singulorum malorum est. Quis »enim ignorat, quod gulae studium radix propemodum sit eorum peccatorum, quae in vita »committuntur? Ab hac enim pendent luxus »atque deliciae, ebrietas, ingluvies, in victu prodigalitas atque profusio, abundantia, satietas, »comessatio, bestialis, et ratione carens impetus »ad vitia ignominiosa. Similiter tangendi sensus »omnium peccatorum extremum est, omnia enim, »quae corpore exercentur a sectatoribus volup-

»tatis, apprehensionis, quae tactu fit, morbi sunt, »quae singulatim exponere longum fuerit. Porro »multitudinem peccatorum quae animo pariter »ac destinata voluntate committuntur, quaenam »oratio enumerare possit? Ex interioribus, in»quit, proficiscuntur improbae cogitationes: at»que adiecit earum cogitationum, quibus inqui»namur, enumerationem. Si igitur ab omnibus »adeo partibus peccatorum retia nobis circum»fusa sunt, per omnia sensuum instrumenta, per »intimos et occultos, ac quasi in corde latentes »animi motus, quis gloriabitur, ut inquit Sapien»tia, se purum habere cor? quis a sordibus ex»purgatus est, quemadmodum Iob testatur. »Sordes sunt animae puritatis voluptas, quae »multifariam multisque modis humana vita com»miscetur, per animum pariter ac corpus, per »cogitationes, per sensus, per motus ex propo»sito procedentes, per corporis operationes et »effectus. Quis ergo puram ab hac macula ani»mam habet? qui fieri potuit, ut fastu percus»sus non sit? qui potuit non esse superbiae pede »calcatus? quem manus peccatrix non commo»vit? cuius pes ad malitiam et nequitiam non »cucurrit? quem oculus immodestus non inqui»navit et auditus stolidus et imperitus non con»taminavit et gustatus ad se non convertit et »occupatum detinuit? cuius cor ad vanos motus »rude et inexcitatum mansit«? Et Abbas

Chaeremon [1]): »Impossibile est«, inquit, »quemlibet sanctorum non in istis minutis quae »per sermonem, per cogitationem per ignoran»tiam, per oblivionem, per necessitatem, per vo»luntatem, per obreptionem admittuntur, incur»rere. Quae licet ab illo peccato quod ad mor»tem esse dicitur, aliena sint, culpa tamen ac »reprehensione carere non possunt. Aut enim«, inquit abbas Piusius [2]) »per ignorantiam, aut »per cogitationem, aut per sermonem, aut per »obreptionem, aut per necessitatem, aut per fra»gilitatem carnis, singulis diebus vel inviti vel »volentes frequenter incurrimus« (addit abbas Theonas [3]) praeter enumerata, »vanitatem« in»ter peccata venialia) »pro quibus et David »orans Dominum, purificationem atque indulgen»tiam deprecatur dicens: Delicta quis intelligit? »ab occultis meis munda me, et ab alienis parce »servo tuo etc. Tanta enim in his facilitate tan»quam naturali lege prolabimur, ut quantalibet »circumspectione atque custodia caveantur, non »possint ad plenum ista vitari«. Et abbas Theo»nas [4]): Aliud est admittere mortale peccatum, et »aliud est cogitatione quae non caret peccato »praeveniri; vel ignorantiae, aut oblivionis errore, »aut facilitate otiosi sermonis offendere, aut ad »punctum in fidei theoria aliquid haesitare, aut

[1]) Apud Cass. Coll. 11. c. 10. [2]) Cass. Coll. 20. c. 11. [3]) Cass. Coll. 22. c. 13. [4]) Coll. 22. c. 13.

»subtili quadam cenodoxiae titillatione pulsari, »aut necessitate naturae aliquantisper a summa »perfectione recedere. Haec enim sunt septem »lapsuum genera, in quibus sanctus, licet non- »nunquam cadat, tamen iustus esse non desi- »nit«.

Dico II° Neminem iustum per ordinaria gratiae auxilia, quae communiter omnibus iustis a Deo suppeditantur, posse tota vita abstinere a peccatis venialibus, nisi adsit aliquod speciale et rarum Dei auxilium seu privilegium, quali freta, post Christum B. Virgo abstinuit tota vita ab omni peccato veniali.

Haec propositio definita est in concilio Tridentino [1]) et antea a concilio Milevitano [2]): »Omni vitio carere, vere hominis modulum ex- »cedit, soliusque Dei est«, inquit S. Gregorius Nazianzenus [3]): Similia docet S. Cyprianus [4]), S. Augustinus [5]), S. Hieronymus [6]).

Dico III° Posse iustum cum auxilio divinae gratiae, vitare singula et omnia peccata venialia, singillatim seu divisim sumpta. Haec conclusio negatur ab haereticis, et traditur a catholicis; inter quos Suarez ait de hoc, non posse

---

[1]) Sess. 6. can. 23. c. 11. [2]) Can. 6, 7, 8. [3]) Oratio in plagam grandinis. [4]) Liber de opere et eleemosynis. [5]) De gratia Christi et epist. 29. ad S. Hieronymum. [6]) Contra Pelag. l. 2.

dubitari, idque recte tradi a S. Thoma [1]) et esse communem doctrinam. Idem docet Gregorius de Valentia [2]), et Vasquez [3]). Et ratio est, quia si non possemus vitare singula et omnia venialia, hoc modo sumpta, ea committendo non peccaremus, quia non libere ea committeremus, cum tamen peccatum essentialiter consistat in actu liberi arbitrii, ut docet S. Thomas. Ad libertatem autem requiritur posse aliquid facere et non facere: »Nemo autem peccat«, inquit Augustinus, »in eo quod vitare non potest«.

Dico IV^o^ Posse iustum speciali Dei privilegio adiutum, non tantum singula peccata venialia vitare, sed etiam omnia prorsus, ita ut nunquam in ullum veniale peccatum labatur. Nam per tale privilegium B. Virgo caruit omni peccato veniali, uti dicitur in concilio Tridentino [4]); pari ergo modo alii iusti, si Deus vellet eis simile privilegium communicare, possent omnibus prorsus carere peccatis. Hanc propositionem Suarez [5]) ait esse certa fide tenendam, eamque probat auctoritate Patrum et ratione, loquendo etiam de iustis habentibus in se fomitem peccati non extinctum nec ligatum, uti fuit ligatus, immo et extinctus in B. V. Maria. Per

[1]) Tract. de gratia 3. lib. 9. c. 5. §. 8. [2]) Tom. 2. disp. 8. a. 1. pun. 6. ad 5. [3]) Lib. 1. tom. 2. disp. 212. cap. 2. a. 16, 17, 18. [4]) Sess. 6. can. 23. [5]) Loco cit. sub. 1.

speciale autem privilegium, quo quis possit vitare omnia prorsus venialia, tota vita sine lapsu in ullum veniale, non est intelligendum auxilium ordinarium, quod communiter omnibus iustis datur, ad vitanda venialia de lege ordinaria, sed valde speciale, quod non conceditur omnibus, et est valde extraordinarium, et contra communem cursum iustorum. Atque ita merito S. Augustinus[1]): »Qui dicunt«, inquit, »esse posse »in hac vita hominem sine peccato, non est eis »continuo incauta temeritate obsistendum. Si »enim esse posse negaverimus, et hominis libero »arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei vir»tuti et misericordiae, qui hoc adiuvando efficit »derogabimus«.

Dico V⁰ Nullum Sanctorum adultorum praeter Christum et B. Virginem vixisse in hac vita sine ullo peccato veniali, quia de nullo tale aliquid scimus ex Scripturae vel Ecclesiae Patrumve doctrina. Et expresse hoc asserit Angelus in sermone quem ore proprio dictavit S. Brigitae[2]). Et S. Bernardus[3]). Quod enim aliqui pauci dicunt id de S. Ioanne Baptista et de S. Iosepho, et sanctificatis in utero: communiter a theologis reicitur, quos citat Suarez[4]) et S. Augustinus[5]) demonstrat. »Excepta«, inquit.

[1]) De pecc. merit. l. 2. c. 6. [2]) Cap. 14. infra citando. [3]) Epist. 174. ad canon. Lugdun. [4]) Tract. de gratia 3. lib. 9. c. 5. §. 8. n. 24. [5]) Lib de nat. et gr. c. 36.

»S. Virgine Maria, de qua, propter honorem Do»mini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, »habere volo quaestionem etc. Si omnes Sanctos »et Sanctas, cum hic viverent, congregare pos»semus, et interrogare, utrum essent sine pec»cato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum »hoc, quod iste dicit« (scilicet Pelagius) »scilicet »illos etiam fuisse sine peccato? An quod Ioan»nes Apostolus [1]? Rogo vos, quantalibet fuerint »in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc »interrogari potuissent, una voce clamassent: Si »dixerimus, quia peccatum non habemus, nos »ipsos seducimus, et veritas in nobis non est«. Et omnes iusti, non tantum ex humilitate, sed veraciter de se debent dicere illud: »In multis »offendimus omnes« [2]. Et: »Si dixerimus, quia »peccatum non habemus, ipsi nos seducimus«, ut bene ponderant concilia Milevitanum et Tridentinum supra citata ad hoc ipsum probandum.

Dico VI° Posse iustos perfectioni vitae serio studentes, auxiliis divinae gratiae adiutos, per longum tempus, immo et per totam vitam, vivere de facto, sine peccatis cum plena deliberatione commissis, cum solis illis, quae dicuntur ex inadvertentia et surreptione et ignorantia accidere. Id expresse supponit tanquam verum et possibile Clemens Alexandrinus [3]:

[1]) 1. Ioan. 1, 8. [2]) Iac. 3, 2. [3]) L. 1. paed. c. 2.

»Optimum«, inquit. »est, nullo modo peccare. »quod est solius Dei: secundum, nullum ex vo»luntariis attingere maleficiis, quod est proprium »sapientis«. Hoc sensu videtur locutus Iob [1]: »Non reprehendit me cor meum in omni vita »mea«. Non absolute, quia peccabat aliquando, saltem non deliberate. Idem significat Apostolus [2]: »Nihil mihi conscius sum«; scilicet, non sum conscius ullius peccati deliberate commissi, in eo statu apostolico, in quo hoc scripsit. Idem docent Suarez [3] et Vasquez [4], quibus adde Iacobum Alvarez de Paz magni nominis theologum et vitae spiritualis, quam tribus magnis voluminibus tradidit, magistrum: »Multi«, inquit, »ex perfectis hominibus, hoc consequun»tur, ut post conversionem suam ac gustatam »Spiritus Sancti dulcedinem, nunquam aut ra»rissime peccata venialia scienter et ex indu»stria, et cum plena deliberatione committant«, idque egregie confirmat autoritate ponderata S. Thomae [5]: »Omnem enim impossibilitatem »moralem, quam vocat, carendi veniali peccato, »ad duo revocasse videtur: scilicet ad infirmita»tem carnis, et ad obscuritatem mentis, saepe »quid expediat, nescientis. Viri autem perfecti, »aut fervide proficientes, scientia illuminati, qua

[1]) Iob. 27, 6. [2]) 1. Cor. 4, 4. [3]) Loco citato. [4]) De extermin. mali t. 2. l. 1. p. 1. c. 9. [5]) I-a II-ae q. 109. a. 8. et 9.

»aliquod peccatum leve esse cognoscunt, et gratia ampliori roborati, et dulcedine divini amoris illecti, non est cur non facile carnis infirmitatem superent, et motus eius ad illicita tendentes cohibeant. Quod autem in uno peccato levi faciunt, in omnibus quae advertunt faciunt, et primum motum insurgentem, ut a levi peccato liberentur, priusquam ultro progrediatur impediunt. Hos Bernardus[1]), beatos ac felices appellat. Beatus huiusmodi homo, inquit, et abundanti Spiritus influens maiestate, qui suavis et unctus portat omnes, et neminem onerat ipse; qui terribilius et horribilius ipsa gehenna iudicat, in re levissima vultum omnipotentis scienter offendere«. Et infra: »Manifestam iniuriam faceres, si de Francisco, Dominico, Ignatio et aliis similibus Sanctis, quod scienter et de industria peccata venialia fecerint, cogitares. Quod autem illi habuerunt, multi viri spirituales ad perfectionem currentes, sine dubio habent, qui licet saepius ex infirmitate in levibus cadant, nunquam tamen multis annis, in huiusmodi, scienter et ex industria deficiunt. Non enim nunc abbreviata est Dei manus, ut iustos suos, ab ista infidelitate servare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut dilectissimorum preces non exaudiat, quibus quotidie postulant, si non ab omni peccato (quod

[1]) Sermo de triplici cohaerentia vinculorum.

»mortalitas ista non patitur) saltem a procaci»tate et fronte meretricis liberari. Frontem vero »meretricis habet, qui post divinam maiestatem »intime cognitam, post amplissima eius dona »suscepta, post gustatam caelestium cogitatio»num suavitatem, audet, (sciens et advertens, ali»quid Domino displicere) illud licet levissimum, »coram oculis sui Domini et creatoris patrare. »Interrogemus itaque viros sanctos, et obtestemur »illos, per nomen Domini, cui se totos commise»runt, ut dicant nobis, sine ullo laedendae hu»militatis timore, an aliquod peccatum veniale, »non ex infirmitate, sed ex industria et ex ma»litia, per aliquot annos commiserint, et si di»xerint, quia longo tempore, aut nunquam, aut »vix ex malitia peccarunt, credamus eis, sunt »enim testes omni exceptione maiores, et eos »in hoc sequi et imitari conemur«. Haec Alvarez.

Similia habet Thomas Massutius[1]): »Quamvis«, inquit, »omnia prorsus peccata ve»nialia efficaciter vitare non possimus, sine spe»ciali Dei privilegio, quod post Christum de B. »Virgine tenet Ecclesia, inquit sacra synodus Tri»dentina[2]): tamen venialia quae non committun»tur ex subreptione, sed ex animi plena delibera-

[1]) De coelesti conversatione l. 5. c. 3. n. 3. [2]) Ses. 6. can. 23.

»tione. possunt declinari et a viris perfectis de »facto omnia aut fere omnia devitantur«.

Talis fuit B. Ioannes a Cruce S. Teresiae in reformatione Ordinis primus adiutor et socius, qui uti scribitur in summa hispanica eius vitae [1]), per multos annos nunquam advertenter ullum veniale peccatum commisit: uti de eo testati sunt confessarii illius.

Talis fuit (ut innumeros e Societate omittam), P. Ludovicus de Ponte, qui post emissum votum, de non peccando unquam deliberate vevenialiter, illud perfectissime implevit: quemadmodum iuratus asseruit eius per viginti annos confessarius P. Petrus de Sandoval in processu informativo pro eius canonizatione facto, autoritate Episcopi Valesoletani.

Hoc quoque consecutus fuit Ioannes Berchmans Belga Societatis Iesu, mortuus in Collegio Romano, cum magna sanctitatis opinione, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, qui per quinque annos quos in Societate transegit, nullum unquam admisit deliberatum veniale peccatum, uti reddens rationem conscientiae suae P. Virgilio Cepario suo Superiori candide fassus est, et ego hoc ab eo audivi, et scriptum est in eius vita.

Idem de se fassus est cardinalis Bellarminus, P. Thomae Tritz heberto, rectori Collegii

---

[1]) Antverpiae anno 1625 impressa.

anglicani in Urbe. Nam etsi Bellarminus septuaginta novem annos vixerit, tamen tota vita sua, nullo deliberato veniali peccato se contaminavit, uti scribit de utroque isto in vita Bellarmini P. Iacobus Fuligattus [1]), et P. Sylvester Petrasancta [2]).

Dico VII° Posse iustos perfectioni vitae spiritualis valde deditos, raro in peccata labi, et per longum tempus abstinere ab omnibus etiam indeliberatis peccatis venialibus, fretos auxiliis divinae gratiae maioribus quam ordinarie concedantur iustis ordinariis, communi vitae cautela viventibus, nec usque adeo perfectioni deditis, uti sunt dediti nonnulli viri perfectiores.

Haec propositio expresse habetur apud Benedictum Iustinianum qui explicans illud [3]): Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. »Nec iverim«, inquit, »inficias, quo quis maiores »habet in christiana virtute et caritate progres»sus, eum et paucioribus et levioribus noxis raro »admodum inquinari, ut colligitur ex Hieronymo [4]) et Augustino [5]).

a) Probatur hoc exemplis magnorum Dei servorum, de quibus id constat ex vitis eorum, et aliis documentis fide dignissimis.

[1]) Cap. 34. [2]) L. 6. c. 1. [3]) 1. Ioan. 1, 8. [4]) Contra Pelag. dial. 3. [5]) De nupt. et concup. l. 1. et de nat. et gratia c. 62.

De B. Maria Oegniacense Ioannes de Vitriaco episcopus et cardinalis doctissimus apud Surium[1] sic scribit: »Testem Deum invoco, »me nunquam in tota eius vita vel conversa»tione, vel unum potuisse mortiferum peccatum »deprehendere. Si quod autem fortassis exiguum »veniale sibi admisisse videretur, cum tanto cor»dis dolore, tanta cum verecundia et rubore, »cum tanta contritione se ostendebat sacerdoti, »ut plerumque prae nimio cordis angore instar »parturientis exclamare cogeretur. Tametsi etiam »ab exiguis et venialibus culpis adeo sibi cave»ret, ut crebro ad dies quindecim, nec unam in»ordinatam cogitationem in suo posset pectore »reperire. Et quia bonarum mentium est, ibi »culpam agnoscere, ubi culpa non est, sacerdo»tum pedibus advoluta, sese accusans, quaedam »eiusmodi etiam cum lacrimis confitebatur, ad »quae nos vix potuimus a risu abstinere: puta, »quaedam verba puerilia, quae in pueritia se di»xisse recolens dolebat. Postquam autem evacu»avit ea quae sunt pueri, tanto cum timore ani»mam suam, tanto studio sensus suos, tanta pu»ritate cor suum custodire nitebatur, semper il»lud prae oculis habens: »Qui modica negligit, »paulatim decidit«, ut ne verbum quidem ullum »aut adspectum inordinatum, nec inhonestum cor-

[1]) Vit. l. 1. c. 6; 23 Iun.

poris habitum, nec risum immoderatum, nec indecentem vel indecorum corporis gestum in ea unquam, aut certe raro advertere potuerimus, quamquam plerumque prae immenso cordis gaudio, dum se ipsam vix posset capere, aliquando liberius exhilarato vultu, externo corporis gestu, mentis iubilum prodere cogebatur. utpote vel risum immodestum ex cordis serenitate edendo, aut aliquam e suis sociabus, modico eoque pudico amplexu humanissime excipiendo, vel saeerdotis alicuius manus vel pedes prae eximia devotione osculando. Cum autem ad se tanquam a mentis quadam ebrietate rediisset, et vesperi omnes actus suos severiter commemoraret et examinaret, si vel in minimo modum se excessisse deprehenderet, cum admiranda cordis contritione id confitebatur, et a se ipsa poenas exigebat: non raro etiam illic trepidans, ubi nullus erat timor. Nos vero ea sola causa nostrae pigritiae consulere volentes eam reprehendebamus, quae crebrius quam vellemus eiusmodi minutias confitebatur«. Quod si cogitatione inordinata diu carebat, aliis quoque peccatis caruit, quae supponunt inordinationem cogitationis. Non potest enim contingere peccatum, nisi sit volitum, volitum autem esse nequit, nisi sit praecognitum: ac proinde cum aliqua inordinatione cogitationis, uti philosophi morales et theologi omnes docent.

De nostro B. Edmundo Campiano scribit Paulus Bombinus [1]): »Conscientiam«, inquit, »sacris confessionibus solebat eluere: adeo »nulla saepe macula, ut ab Antonio Francisco, qui eius confessiones audire consueverat, quia nihil erat quod solvi posset, sine solemni absolutione ad sacrum ire perpetrandum iuberetur. »Quanquam id quoque antequam sacris initiare»tur, usu venisse confitenti Campiano, ut sine »sacra absolutione, eandem ob causam dimitte»retur, idem Antonius Franciscus non semel te»status est«.

De S. Francisco Xaverio maius quippiam constat ex testimonio eius confessarii, quod ad probandam vitae eius sanctimoniam, adferunt auditores Rotae, in relatione [2]) ab eis facta Summo Pontifici pro canonizatione illius: »Cum«, inquiunt, »quondam Xaverius ibi ageret »hiemem, confessum fuisse saepius, apud Vica»rium S. Thomae, qui iureiurando affirmaverat, »in huiusmodi confessionibus nullum se invenisse »peccatum veniale, quo Deus offendi potuisset«.

De nostro B. Stanislao Kostka, P. Alphonsus Ruiz, cui ille totius vitae peccata in confessione detexerat, post illius mortem publice testatus est: »eum tota vita sua« (quae fuit undeviginti annorum) »nullum mortale pec»catum commisisse, et venialia valde pauca«.

---

[1]) Vit. c. 11. [2]) Par. 2. de charit. in Deum §. 2.

De B. Aloysio Gonzaga P. Ferdinandus Paterno testatus est, dum eius confessarius esset in curia regis Hispaniarum existentis adhuc in statu saeculi »per quinque vel sex annos, »quibus eius confessiones excipiebat ad annum »aetatis quartum decimum se saepenumero, nec »materiam in eo absolutionis invenisse, idque »non ex defectu iudicii et sollertiae accidisse, »quia etiam ab ea aetate elucebat in illo pru»dentia et maturitas senilis in moribus« [1]). Si ergo B. Aloysius in ea aetate, adhuc saecularis, in aula regis Hispaniae, adeo abstinuit diu a venialibus, quanto magis postea acquisito maiore Dei lumine, et divinae gratiae abundantia in vita religiosa? Atque ita P. Hieronymus Platus ob libros editos notus, perspectae doctrinae et probitatis vir, scripto testatus est: »Se eius ge»neralem confessionem in societate sex mensium »audisse, et non reperisse in eo materiam capa»cem absolutionis, neque de peccatis venialibus«. Quae duorum confessariorum testimonia tanquam certa et fide dignissima, adduxerunt ad comprobandam sanctitatem B. Aloysii, Rotae auditores in relatione, pro eius canonizatione facta Paulo V. Pontifici Maximo, titulo: Quod innocens Adolescens, habuerit omnes virtutes, et paragrapho: Quod autem immaculatus Adolescens.

Quod confirmari potest praeter experientiam

[1]) Process. Canoniz.

multorum servorum Dei, accurate vitae perfectioni studentium, testimonio iurato P. Annibalis Vitalis, qui in processu Leciensi facto autoritate Sedis Apostolicae pro canonizatione P. Bernardini Realini, testis tertius ad vigesimum articulum, ita respondit: »In quindeci anni in »circa, che esso si e confessato in quest' ultimi »della vita, continuamente con me, non ho po»tuto trovar in lui, ne nemo un peccato veniale »voluntario«.

Iosephus Soria e Societate Iesu, qui familiariter versatus est cum P. Realino per annos viginti duos et fuit eius cubicularius per annos quinque, testis duodevigesimus in processu Leciensi super octavo articulo iuratus deposuit: »P. Bernardinum fuisse tam magna sanctitate »praeditum, et vitae adeo purae, ut nemo quod »sciam adverterit unquam ab eo vel minimum qui»dem peccatum veniale fuisse commissum, multo »minus mortale«.

De eodem P. Realino in eius vita a P. Antonio Beatillo italice conscripta legi, alterum eius confessarium P. Natalem Caputum, professorem theologiae testatum esse: »Per octo menses, »quibus confessiones P. Realini audivit, nunquam »se invenisse in eo materiam absolutionis. Ut »ergo absolvi posset, aliquod ex saeculari vita »anteacta peccatum confitebatur«.

De cardinali Bellarmino scribit Fuligattus

in eius vita [1]), eum interdum per octo dies non invenisse unum peccatum, quod esset materia absolutionis. Et tamen Bellarminum scimus fuisse scrupulosissimum, quales, ut ait S. Gregorius, solent »ibi culpam agnoscere ubi culpa »non est«.

Noster quoque Frater Alphonsus Rodriquez [2]), etsi per quadraginta circiter annos ianitoris officium obierit, ordinarie in cofessionibus non adferebat materiam absolutionis.

De P. Ludovico de Ponte [3]) legi, dictum a P. Michaele de Sancto, Romae praeposito nostrae domus professae: »P. Ludovicum conservasse »gratiam baptismalem tota vita, et inter quin»quaginta quatuor peccata, quae post eius mor›tem scripta ab eo olim inventa sunt a curioso »quodam, nullum fuisse, quod ipse auderet asse»rere attigisse culpam saltem peccati venialis«.

b) Probatur haec doctrina ex concilio Tridentino [4]), ubi disserens de peccatis iustorum ait: »Licet iusti in venialia peccata quandoque »cadunt, non propterea desinunt esse iusti«; ubi particula »quandoque« indicat, non saepe, sed raro id contingere iis, qui sibi attendunt et gratiae Dei cooperantur.

Simili loquendi formula usus est Angelus in sermone, quem suo ore dictavit S. Birgittae [5])

[1]) Cap. 34. [2]) L. 12. Reg. c. 11. Resp. [3]) Concio funebris impressa Valisoleti 1624. [4]) Sess. 6. cap. 11. [5]) Cap. 14.

Quis«, inquit. »mirari debet, quod Deus hanc Virginem« (scilicet Mariam) »super omnes maxime dilexerit, cum ipsa sola excepta, neminem a viro et muliere generari praenovit, cuius animus« (alias voluntas) »ad mortale seu veniale peccatum interdum non fieret inclinabilis«. Quod autem »interdum« accidit, non saepe accidit.

c Probatur haec doctrina testimoniis Patrum. S. Gelasius I[1]), (in disputatione contra Pelagium dicentem, sine gratia posse hominem toto vitae tempore abstinere a peccatis venialibus) postquam docuisset id viribus naturae fieri non posse, subdit: »Sin vero quispiam non possibilitate facultatis humanae, sed per divinam »gratiam hoc asserat in hac vita quibuslibet Sanctis, »posse conferri, bene quidem facit, (nam Dei »dono cuncta possibilia sunt), talia confidenter »opinari et sperare fideliter«. Si ergo tota vita quis potest ab omnibus abstinere peccatis, beneficio divinae gratiae, multo magis, per longum, etsi non totum, vitae tempus. Et cum dixisset, non decere impugnare facile, si quis diceret, aliquos tales extitisse subdit: »Sanctos nonnullos copiosiore Dei munere, vel rarius omnino »vel minimis, humanae conditionis passionibus »impetitos esse, et affluentiore Dei gratia, mortalitatis vitia facile superasse, ita tamen, ut

[1]) Ep. Pont. tom 1. §. 2. p. 352. edit. rom.

»solius Agni sit proprium, nullum prorsus habu»isse peccatum«. Et quamvis postea, multis Scripturae testimoniis probet, omnes esse peccatis obnoxios, id non ideo facit, quasi neget diu aliquos posse abstinere a peccatis per auxilia gratiae, sed ut Pelagianorum errorem demoliatur, asserentium, »omnes esse posse atque de»bere prorsus ab omni peccato liberos«. Ideoque tandem subdit: »Viros in magnae continen»tiae proposito constitutos, sive minus sive am»plius, a vitiis infestari, prout quisque gratia »divina inspirante profecerit«. Cum autem multos in Ecclesia Dei proficere valde certum sit: multos quoque reperiri, qui raro in peccata venialia labantur, dubitari non debet.

Eadem veritas colligitur ex S. Augustino [1]), qui ait: »Qui dicunt esse posse hominem »in hac vita sine peccato, non est eis continuo »incauta temeritate obsistendum. Si enim posse »esse negaverimus: et hominis libero arbitrio, »qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti ac mi»sericordiae, qui hoc aliquando efficit, derogabi»mus«. Quibus locis videtur Augustinus loqui de abstinentia a venialibus, per totam vitam, quare multo magis de abstinentia per longiusculam vitae partem, id sentit, quia hoc facilius est, neque tam speciali gratiae auxilio eget. Idem

[1]) De pecc. mer. l. 2. cap. 6.

Augustinus[1]) dicit: »Si quis de aliquo Sancto »affirmet, nunquam peccasse, non propriis viri»bus sed gratia et dono Dei, non multum cum »eo esse contendendum, sed potius si id suffi»cienter ostendat. illi esse gratulandum«. Cum autem certissimis testimoniis supra ostensum sit, aliquos diu sine venialibus vixisse peccatis, et raro in ea lapsos esse, id quoque alios posse assequi similibus divinae gratiae specialis auxiliis fretos, dubitandum non est. Idem[2], solvens argumenta Caelestii Pelagiani nomine sibi a coëpiscopis Eutropio et Paulo proposita, (quibus Pelagiani conabantur evincere, »quod »homo viribus naturae, sine gratia per Christi »merita collata, possit prorsus tota vita vivere »sine peccato«) non negat id posse fieri, sed non nisi per gratiam Dei, non vero viribus naturae. Quod ut clarius appareat, adferam hic praecipua argumenta Pelagianorum in illo libro, seu exempla, ab Augustino relata et ab eodem soluta.

»Ante omnia«, inquit, (scilicet Pelagianus) »interrogandus, qui negat hominem sine peccato »esse posse, quid sit quodcunque peccatum, quod »vitari potest, aut quod vitari non potest. Si »quod vitari non potest, peccatum non est: si »quod vitari potest, ergo homo potest esse sine »peccato quod vitari potest. Nulla enim ratio

[1]) De Spir. et lit. cap. 1. a principio et c. 2. [2]) De perfectione iustitiae.

»vel iusticia patitur saltem dici peccatum, quod »vitari nullo modo potest«.

Ad hoc S. Augustinus sic respondet: »Respondemus, vitari posse peccatum, si »natura vitiata sanetur gratia Dei per Iesum »Christum Dominum nostrum. In tantum enim »sana non est, in quantum id quod faciendum »est, aut caecitate non videt, aut infirmitate non »implet: dum caro concupiscit adversus spiritum »et spiritus adversus carnem; ut non ea quae »vult homo faciat«. Haec Augustinus.

Quocirca si iudicio Augustini potest homo tota vita (uti putabat Pelagius) vivere sine peccato, per Christi gratiam, multo magis non tota vita, sed diu, raro peccando, vivere potest.

Deinde aliud Pelagianorum argumentum in medium adfert tale: »Iterum quaeren»dum est, quid sit peccatum, naturale an acci»dens? Si naturale est, peccatum non est: si au»tem accidens est, et recedere potest; et quod »recedere potest, vitari potest; et quod vitari »potest, potest homo sine eo esse, quod vitari »potest«.

Respondetur, inquit Augustinus: »Na»turale non esse peccatum, sed naturae praeser»tim vitiatae, unde facti sumus natura filii irae: »parumque esse ad non peccandum voluntatis »arbitrium, nisi adiuta sanetur gratia Dei per »Iesum Christum Dominum nostrum«.

»Iterum ait« (Pelagianus) »quaerendum

»est, utrumne debeat homo sine peccato esse? »Procul dubio debet. Si debet, potest: Si non »potest, ergo nec debet. Et, si non debet homo »esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse, »et iam peccatum non erit, si illud haberi de»bere constiterit«.

Respondetur, inquit Augustinus hac similitudine: »Cum videmus claudum qui sanari »potest, recte ubique dicimus, debet homo iste »esse sine claudicatione, et si debet, potest. Nec »tamen cum vult, continuo potest, sed cum fue»rit adhibita curatione sanatus, et medicina adiu»verit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, »quod ad peccatum attinet tanquam ad eius »claudicationem per eius gratiam, qui venit non »vocare iustos sed peccatores; quia non est »opus sanis medico, sed male habentibus«.

»Iterum ait«, (Pelagianus) »quaerendum »est, an velit Deus hominem esse sine peccato? »Procul dubio vult, et procul dubio potest. Quis »enim tam demens est, ut vel dubitet fieri posse »quod Deum velle non dubitat«?

Respondetur, (inquit S. Augustinus) »vult Deus hominem esse sine peccato: sed hoc »fit in credentibus et proficientibus renovatione »interioris hominis de die in diem, donec fiat »perfecta iustitia tanquam sanitas plena«. Haec S. Augustinus.

Ex cuius responso causam discimus, quae viros perfectioni serio incumbentes raro peccare

facit: scilicet, renovationem interioris hominis, quam Christi gratia facit in proficientibus. His enim Deus auxilia frequentiora et maiora suppeditat, quam vulgo communi iustorum, tepidorum praesertim; praeterea, extrinseca etiam providentia Deus praeservat spiritu ferventes, ne occurrant illis obiecta ad peccatum allicientia, vel, si occurrunt, ita eorum mentem et cogitationes piis rebus occupat, ne ad malas cogitationes delabantur, sine quibus praeviis, nemo peccat. Liberi enim arbitrii usus incipit a cogitatione repraesentante materiam obiecti, quam sub specie boni apprehensam, voluntas eligit dum peccat.

»Iterum ait«, (Pelagianus) »quaerendum »est, quot modis constet omne peccatum? Duo»bus, ni fallor; si aut illa fiant, quae prohiben»tur aut illa non fiant, quae iubentur. Tam certe »omnia illa quae prohibita sunt, vitari possunt, »quam quae praecepta sunt, perfici. Nam frustra »aut prohiberetur aut iuberetur, quod vel caveri »vel impleri non posset. Et quomodo negabimus »posse esse hominem sine peccato, cum confi»teri necesse sit, eum tam omnia illa quae ve»tantur posse cavere, quam quae imperantur ef»ficere?«

Ad hoc quoque respondet S. Augustinus, non negans posse nos abstinere a peccato, sed id nos non posse, nisi Deus det, et caritas Dei diffundatur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum S. qui datus est nobis:

»Hoc autem«, inquit, »fit de die in diem, in iis, »qui volendo, et credendo, et invocando, profi»ciunt, et praeterita obliviscentes, in ea quae »ante sunt extenduntur. Ad hoc enim lex ista »praecipit, ut cum in his implendis homo defe»cerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad »gratiam confugiat fatigatus«.

Deinde [1]) ait: »Adiuvante gratia Dei, negan»dum non est, posse hominem esse sine pec»cato«.

Et iterum [2]: »Non gratis Christus mortuus »est, non igitur potest homo esse sine peccato, »etiamsi velit, nisi adiuvetur gratia Dei, per Ie»sum Christum Dominum Nostrum, quod ut per»ficiatur, et nunc in proficientibus agitur, et »omnimodo implebitur, contentione mortis ab»sumpta, et caritate, quae credendo et sperando »nutritur, videndo et obtinendo perfecta«.

Idem Augustinus cum alibi ostendisset, neminem esse qui viribus naturae sine gratia Dei vivat sine ullo peccato, et concludens primam quaestionem, asserit tolerandum esse eum, qui diceret praeter Christum, alicui quoque per Christi gratiam, concessum esse, »qui nullum »omnino haberet peccatum«: supra dixerat reperiri, »qui per Dei gratiam, se ab eis peccatis »abstinuerit, quae crimina vocantur, atque illis »peccatis« (scilicet venialibus) »sine quibus non

[1]) Cap. 6. [2]) Cap. 7.

»hic vivitur, mundare operibus misericordiae, et »piis orationibus non neglexeris«: et talem hinc exire sine peccato, »quamvis cum hic viveret, »habuerit nonnulla peccata«. Quo loquendi modo aperte indicat, reperiri tales, qui per Christi gratiam, non multa sed pauca, seu quod idem est, »nonnulla« committunt peccata, quae per opera pietatis expiant. Et loquendo de iustis: »Quia«, inquit, »saepe in levissimis, et aliquando incau»tis obrepit peccatum, et iusti fuerunt, et sine »peccato non fuerunt« [1]). Quo loco, »aliquando«, denotat raro id contingere nonnullis.

S. Leo Papa: »Ut«, inquit, »virtutis habita»culum nulla sit contaminatione pollutum, utique »regente atque adiuvante Domino omnibus obti»nere possibile est: si per ieiunii purificationem, »ac per inediae largitatem, studeamus et pecca»torum sordibus liberari, et caritatis fructibus »esse faecundi«.

S. Iulianus ait: »Eos qui sancte per do»num Spiritus S. vivunt, tamen propter aliquas »infirmitates humanas, quas trahunt, sive scien»tes, sive nescientes, aliquoties, aut suo peccato »cedunt, aut alieno consentiunt« [2]). Ergo Iuliani iudicio, aliqui non saepe, sed »aliquoties« peccant.

Notat Suarez [3]) Patres nomine criminis in-

---

[1]) Lib. de nat. et grat. c. 38. [2]) De vit. cont. lib. 3. cap. 31. [3]) Tom. 2. p. 3. disp. 4. sect. 3.

telligere peccatum mortale. Sic S. Augustinus [1] illud accipit et S. Gregorius [2].

Et Christus Dominus dans varia monita S. Birgittae inter alia ait [3]: »Mali homines inter iustos tolerantur ad bonorum probationem: ex malitia quippe malorum probatur »bonorum constantia, nam in adversitate ostenditur, quantum quisque patiens est: in prosperitate vero quam quisque constans est et moderatus. Quia ergo vitia quandoque subrepunt iustis, et virtutes frequenter extollunt, ideo permittuntur mali vivere cum bonis, ne boni dis»solvantur nimia laetitia, vel dormitent acedia, »et ut frequenter habeant ad Deum oculos«. Aliud est autem, ut observavit Caietanus [4], »quandoque«, aliud, »passim«, quod idem est, ac saepe.

Idem deducitur ex S. Gregorio Papa [5], qui loquens de peccatis iustorum, qui dicuntur septies cadere. »Iusti«, inquit, permittuntur ali»quando cadere, ut semper valeant fortius stare. »Hi profecto, etsi verba Domini quandoque non »implent, a Domino non recedunt, et in modico »desipiunt sed post modicum resipiscunt«. Quo loquendi modo indicat, reperiri iustos, qui non

[1] Enchirid. cap. 64. et de nat. et grat. c. 36. et de perf. iust. c. 12. et 17. [2] Mor. lib. 21. c. 12. [3] Revel. l. 2. c. 19. [4] Coll. 22. q. 4. 3. a. 8. [5] L. 6. in 1. Reg. c. 2. in 8. et Prov. 24. c. 16.

saepe labantur in venialia, »sed aliquando, quan»doque, modicum«: id est raro, eum enim sensum in lingua latina habent hae dictiones, et tales loquendi formulae. Et alibi[1]) sic scribit: »Qui cum virtute abstinentiae, contemptu rerum »transeuntium, prophetiae spiritu, orationis in»tentione, esset incomparabiliter praeditus: unum »erat, quod in eo reprehensibile esse videbatur, »quod nonnunquam tanta ei laetitia inerat, ut »illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, »nullo modo crederetur«.

Idem sentit Clemens Alexandrinus[2]): »In voluntaria peccata non adeo multa incidere, »iis maxime convenit, qui bene educati sunt«. Qui autem non incidit in multa, raro incidit.

Et S. Hieronymus: »Et nos«, inquit, »di»cimus posse hominem non peccare si velit, pro »tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, »quam diu intentus est animus«. Atqui multi servi Dei ferventes habent valde intentum, et diu, rebus divinis animum, et maiorem circa se auxiliantis Dei protectionem; proinde Dei beneficio diu abstinent a peccatis, qui suae animae serio intendunt.

S. Maximus[3]): »Habent«, inquit, »merita »aetates suas, nam et senectus morum invenitur »in pueris: et innocentia infantium reperitur in

[1]) Dial. de Isaaco lib. 3. c. 14. [2]) Paed. l. 1. c. 6. [3]) Hom. 4. in Pascha.

»senibus«. Ad innocentiam vero vitae requiritur, rarus in peccata venialia lapsus.

S. Ambrosius[1]) explicans illa verba Lucae: Erant incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela ait: »Quid ad hoc referunt, qui peccatis suis solatia praeferentes, sine peccatis frequentibus hominem »putant esse non posse, et utuntur versiculo, quia scriptum est in Iob: Nemo mundus a sorde, »nec si unius diei vita eius sit in terra«. Et infra: Si hoc putant sine peccato, esse, nunquam »omnino peccasse, et ipse consentio. Omnes enim »peccaverunt et egent gloria Dei: sin autem eum qui veterem errorem correxerit, et in eam »se vitae transformaverit qualitatem, ut temperet a peccato, negent abstinere a delictis, non »possum in eorum convenire sententiam: cum »legamus, quia sic Dominus dilexit Ecclesiam, »ut exhiberet ipsam sibi gloriosam et non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eius»modi, sed ut sit sancta et immaculata«. Ubi cum dicat se de talibus peccatis loqui, quae »omnes« admiserunt et committunt, clarum est eum non loqui de mortalibus, quae non omnes committunt. »Esse enim a reatu mortalis culpae »alienum, conceditur multis«, inquit B. Laurentius Iustinianus[2]), et patet ex historiis ecclesiasticis; et confessarii bene sciunt, qui tales

[1]) In Luc. c. 1. [2]) Lib. de obed. c. 1.

multos norunt, sed de solis venialibus. Sensit ergo posse nos esse sine frequentibus venialibus: praesertim, cum, ut ait S. Augustinus[1]) per peccata, S. Scriptura, intelligit venialia, per crimina — mortalia.

Dices, Pelagium teste S. Augustino[2]), usum esse hoc loco S. Ambrosii ad probandam suam haeresim, quae erat: posse ac debere homines omnibus peccatis carere tota vita: proinde hoc S. Ambrosii loco non bene probari, id ad quod probandum adfertur.

Respondetur concedo antecedens, nego consequentiam.

I° Quia nos rem diversam loco citato S. Ambrosii probamus. Pelagius enim docebat hominem sine ullis peccatis posse totam vitam transigere, idque viribus naturae, non auxiliis gratiae fretum. Nos vero id tanquam haeresim detestamur, sed tantum cum S. Ambrosio dicimus, posse esse beneficio Divinae gratiae hominem »sine peccatis frequentibus«, sine quibus tamen nullus vivit ita, quin aliquando in ea labatur.

II° Et Pelagius et alii haeretici solent suas haereses, etiam Scripturae sententiis male intellectis et explicatis confirmare, sicut ergo hanc ob causam non debemus abstinere a pro-

[1]) De perf. iust. c. 12. et 17. [2]) De gratia Christ. cap. 43. et 49.

ducensis Scripturae S. sententiis in confirmationem sanae doctrinae ita nec ab iis Patrum sententiis citandis abstinere debemus, bene intellectis, et in vero earum sensu propositis, etsi eas ad suos errores haeretici inique detorqueant.

Nec obstat, quod S. Augustinus[1]) dicat, S. Ambrosium asserere, »hominem posse »esse sine peccato«; id enim non dicit ex suo sensu, sed refert: Pelagium ideo laudasse S. Ambrosium, »et dixisse: in eius praecipue libris Ro»manam elucere fidem, eumque inter Latinos, »Scriptorum florem quendam enituisse: quia«, inquit, »videtur Pelagius sibi in quodam loco »librorum eius, eo teste uti, quo probet homi»nem posse esse sine peccato«. Hoc autem S. Ambrosius non dixit, uti ei affinxit Pelagius, sed tantum, posse esse sine frequentibus peccatis per Dei gratiam. Deinde cum[2]) idem repetiisset tanquam a Pelagio citatum ex Ambrosio, respondet: »Posse hominem in hac vita »esse sine peccato, negandum non est, si hoc »velit Deus, apud quem sunt omnia possibilia«. Sed infra[3]) ait merito S. Ambrosium docere exponendo Esaiam Prophetam: »Neminem in »hoc mundo esse sine peccato«, quod nos etiam contra Pelagium asserimus, sed hoc Ambrosii dictum est diversum ab eo quod retulimus,

[1]) De gratia Christi c. 43. et 49. [2]) Ibid. cap. 48. [3]) Ibid. cap. 49.

de frequentibus peccatis. Quocirca etsi Bellarminus[1]) dicat, S. Augustinum[2]) dixisse, correctam esse a S. Ambrosio illam sententiam, non est intelligendum, quod eam correxerit de abstinentia possibili a frequentibus peccatis, sed tantum eam, quam habuisse dicebatur a Pelagio, »de perfectione iustitiae Zachariae »et Elisabeth summae atque omni modo perfec»tae, cui nihil addi iam posset«, qualem[3]) dixerat, nos in caelo sperare. Quod quidem S. Augustinus conditionate dixit de S. Ambrosio: »Si ille«, inquit, «vir sanctus atque humilis Za»chariam et Elisabeth summae atque omni modo »perfectae iustitiae cui nihil addi iam posset, fu»isse existimavit, profecto sententiam suam mi»nutius excutiendo correxit«.

Atqui in loco S. Ambrosii a me citato, nil tale ab eo dictum est, quocirca non de loco, prout a nobis citatus, id S. Augustinus dixit, sed prout erat citatus a Pelagio, de iustitia perfectissima Zachariae et Elisabeth[4]).

Abbas Pynuphius apud Ioannem Cassianum[5]), loquens de iustis ordinariis, licet dicat eos singulis diebus in venialia labi, tamen Abbas Theonas disputans de peccatis iustorum, qui etiam sancti viri sint, adducto testimo-

[1]) De amiss. grat. l. 1. c. 6. §. obi. 4. [2]) De grat Christ. c. 49. [3]) Ibid. c. 48. [4]) Hieronim. dial. contra Pelag. lib. 1. n. 12. [5]) Coll. cap. 20.

nio illo, prout communiter a concionatoribus citatur: »Septies in die cadit iustus« [1]), ait, in septem lapsuum genera, scilicet cogitationis, ignorantiae, aut oblinionis etc. virum sanctum »nonnunquam« cadere: qui autem cadit »nonnunquam«, raro cadit, saepe et diu abstinet a casu veniali: idem enim significat »nonnunquam«, quod, raro.

Quod idem Abbas Theonas supra clarius indicaverat: »Nullus«, inquit, »ita circumspectus »in huius mundi potest esse conflictu, ut eum »saltem rara vel levia peccatorum tela non fe»riant« [2]). Agnovit ergo, aliquem Dei beneficio raro labi in levia peccata.

Idem Abbas Theonas expresse impugnans [3]) eos, qui dicebant cum Pelagio, hominem posse esse sine peccato, sic eos refutat, ut ostendat id falsum esse: quia nullus est qui non »interdum«, non »aliquando«, peccet, qui loquendi modi, non frequentia, sed rara denotant peccata aliquorum Sanctorum: »Quod«, inquit, »tam pertinax Sanc»torum studium, quod tam arduum potest esse »propositum, cui non aliquando, versutus ille in»sidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta se»ctatus, universorum mortalium consortia decli»navit, ut nunquam cogitationibus superfluis la»beretur, et intuitu rerum vel occupatione actu»um terrenorum ab illa quae vere sola et bona

[1]) Prov. 24, 16. [2]) Coll. 22. c. 7. [3]) Coll. 23. c. 7.

»est Dei contemplatione deciderit? Quis tantum »spiritus, unquam potuit retinere fervorem, ut »non interdum lubricis cogitationibus in ipsa »quoque orationis intentione translatos, repente »de caelestibus ad terrena corruerit?« Sensit ergo, aliquos non saepe, sed, interdum, et aliquando, quod idem est, ac raro, peccare: et hoc satis est ad refutandos Pelagii asseclas, qui dicebant, iustos nunquam peccare debere et posse. Quod autem Theonas addit, »Sanctos »cogitatione quandoque in peccata labi«, verum est, si sermo sit de communi iustorum cursu, fit tamen singulari Dei beneficio, etsi raro, (uti mihi certo compertum est) ut aliqui nunquam ullo, mere interno peccato, Divinam Maiestatem offendant.

S. Bernardus:[1]) »Qui lotus est«, inquit, »non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui »gravia peccata non habet, cuius caput, id est »intentio, et manus, id est operatio et conversa»tio munda est. Sed pedes qui sunt animae af»fectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto »mundi esse non possunt, quin aliquando vani»tati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus »quam oportet cedat animus vel ad horam«. Ubi ponderanda sunt:

I⁰ Particulam aliquando, ostendere, raro nonnullos peccare: quod enim aliquando dicitur

[1]) Serm. in Coena Dom. n. 4. fin.

contingere, supponitur non semper nec saepe, sed raro contingere.

II° S. Bernardus supponit esse homines iustos, qui non peccant intentione, nec operatione, et conversatione (in quibus tamen omnia fere iustorum peccata consistunt) quando ergo addit aliquando, affectione illos delinquere, idque non saepe, sed vel ad horam, manifeste indicat, raro id accidere caute viventibus. Et cum loquens de vulgo, et de modo communi vivendi iustorum imperfectorum, dixisset: »Multa »quotidie peccata contrahimus« [1]), paulo post subdit: »Beati qui stolam suam, dico autem glo»riam conscientiae suae, solliciti sunt omni tem»pore conservare immaculatam, semper splendi»dam exhibere. Sed quia pauci sunt, qui sic »omni custodia servent cor suum, pauciores au»tem, si tamen vel pauciores, qui in omni sanc»timonia conservent illud, necesse est frequenti »abstinentia maculas diluere subintrantes«. In quibus verbis manifeste docet, reperiri tales iustos, etsi paucos, qui conservant omni tempore, immaculatam a frequentibus et quotidianis aliorum peccatis conscientiam, et semper splendidam.

His accedit S. Thomas: »Perfecti«, inquit, »viri ex infirmitate carnis incidunt interdum in »aliqua peccata venialia« [2]). Ubi vox interdum

[1]) Ser. in vigilia S. Andr. Ap. n. 1. [2]) II-a II-ae q. 43. a. 5. ad 3.

ostendit, non de frequentibus, sed de raris eum loqui peccatis. a perfectis viris commiti solitis: possunt ergo diu ab eis abstinere, si raro in ea labuntur, seu quod idem est, si interdum labuntur.

Et explicando modum vivendi perfectorum, clare indicat eos ita vivere, ut raro peccent. Sic enim ait[1]: »Ad perfectos pertinere, ea quae »agunt, secundum regulam rationis ordinare, se»cundum illud: omnia honeste et secundum or»dinem fiant in vobis[2]). Et praecipue hanc cau»telam adhibent in his, in quibus non solum »ipsi offenderent, sed etiam aliis offensionem pa»rarent. Et siquidem in eorum manifestis dictis, »factis, aliquid ab hac moderatione desit, hoc »provenit ex infirmitate humana, secundum quam »a perfectione deficiunt, non tamen in tantum »deficiunt, ut multum ab ordine rationis rece»datur, sed modicum et leviter, quod non est »tam magnum, ut ex hac ratione possit ab »alio sumi peccandi occasio«.

Et respondens ad obiectionem, qua probatur scandalum activum reperiri in viris perfectis, quod S. Thomas ibidem negat reperiri, sicut nec scandalum passivum, ait[3]) »quod peccata »venialia perfectorum, praecipue consistunt in »subitis motibus occultis; si quae vero etiam in »exterioribus dictis vel factis, peccata venialia

[1]) Loco cit. a. 6. [2]) 1. Cor. 14, 40. [3]) L. cit. ad 3.

»committant, tam levia sunt, ut de se scandali»zandi virtutem non habeant«. Qui modi loquendi non possent consistere, si perfecti peccarent saepe venialiter, frequentia enim venialia et vitam valde tepidam peccantium demonstrant, et scandalum activum praebent imperfectis et tironibus, et viros perfectionis valde studiosos offendunt et contristant, uti et superiores suos.

Quocirca inter privilegia valde singularia reponendus est rarus per longum tempus in peccata venialia et quidem indeliberata lapsus, quandoque per surreptionem, ex humanae mentis infirmitate et huius vitae conditione contingens. Hoc videtur asserere S. Macarius Aegyptius ab Ecclesia in Romano Martyrologio et a Baronio in notis ad illud laudatus, qui cum docuisset, »bellum gerere cum mente no»stra, neque consentire neque componere cum »cogitationibus pravis, et in nostra potestate »esse« (non sine tamen auxiliis divinae gratiae) »certare, resistere, vulnerare, caedere« (scilicet inimicum diabolum) »non posse tamen ho»minem facultate propria« (scilicet cum ordinariis Dei auxiliis) »peccatum radicitus evel»lere et extirpare, sed hoc soli Deo conve»nire, et ad solam divinam potentiam pertinere«. Tandem post multas luctas et certamina, quod Dei potentia concedat aliquibus, subdit: »Quem»admodum si domum tuam latro invaserit, tibi »molestus esse non desinet, nec sinet te secure

»agere, tu vero illi resistere incipies, et caedes »atque caederis ita debet animare: refetire, re»pugnare atque retundere. Demum vero volun»tas illa repugnans, et afflictione et molestia »obruta, superior evadere incipit, cadit, erigitur. »Denuo peccatum, in decem aut viginti congres»sus coniicit animam, superat ac prosternit. Ani»ma vero successu temporis decretoria pugna »superat peccatum. Iterum illa si sustinuerit, nec »se remiserit, paulatim superior esse incipit, et »discernere, palmam denique reportare contra »peccatum. Sed in iis si recte advertantur, tam »diu peccatum evertit hominem, donec evaserit »in virum perfectum, in mensuram aetatis, et »omnino superet mortem« [1]).

Quo in loco duo notanda sunt.

I° S. Macarium non loqui de victoria tantum peccatorum mortalium, ab his enim multos Sanctos ne semel quidem victos esse certissimum est, uti constat ex bulla canonizationis de S. Dominico, et S. Petro Martyre. S. Macarius autem ait, saepe per peccata quemvis nondum perfectum a daemone vinci, ergo manifestum est, cum loqui de venialibus.

II° Notandum est, eum non agere eo loco de certa specie peccatorum tantum, sed expresse ait esse »infinitas species a quibus cavendum est«, cum ergo de his asserat solius Dei poten-

[1]) Hom. 3, 15. Ianuar.

tia acquiri extirpationem eorum, et victoriam de illis, de omnibus speciebus peccatorum venialium id asseruit, et non tantum de paucis. Non obstat autem victoriae de peccatis, rarus in aliqua lapsus, a quo Christo et B. Virgine exceptis, nullus omnino fuit immunis, quia ut est regula iuris, parum »pro nihilo reputatur, et una hirundo non facit ver«.

Tandem ne quis desperet se id posse assequi, eo quod adversarius daemon videatur esse in pugnando potentior nostra anima, subicit contrarium: »Mens«, inquit, »ut saepenumero dixi»mus, adversaria est, paremque tum potentiam adversus peccatum habet qua contradicere possit et resistere cogitationibus. Quod si dicas, fortio»rem esse potentiam adversarii, et vitium ho»mini plane dominari, Deum constituis iniustum etc. Proinde nos asserimus mentem adversario »esse facultate parem sed beneficio divinae gra»tiae«. Tandem modum tradit prosequendi hanc de peccato victoriam. »Itaque anima, quae sum»mo studio imploraverit auxilium Divinum, con»sequetur illud, non sine remuneratione, digna»que habebitur quae liberationem mereatur. Cer»tamen enim et lucta inter aequales consistit«.

Idem iterum [1]) sic loquitur hoc ipsum confirmans: »Anima quae ob summum desiderium et »expectationem, fidem atque dilectionem, digna »fuerit habita, quae recipiat illam supernam vir-

[1]) Hom. 4.

»tutem (nempe caelestem spiritus dilectionem), »et quae caelestem ignem immortalis vitae fue»rit adepta, ab omni dilectione huius mundi re »vera solvitur, et ab omni laqueo nequitiae libe»ratur. Quemadmodum enim ferro, plumbo, auro, »vel argento in ignem coniectis, resolvitur eo»rum dura natura et in molliorem mutatur, quan»toque diutius in igne permanserint, tanto magis »soluntur et mutantur a sua naturali duritie, »propter virtutem ignis calidam, sic et anima »quae mundo abrenuntiaverit, solum Dominum »desiderans, omni animi pervestigatione, studio »atque contentione, et ex fide ac spe sua, ex»pectationem indeficientem in illum contulerit, »illum ignem caelestem, divini atque spiritualis »amoris consecuta, tum vere a mundo exolvitur, »et ab omni vitio affectionum liberatur, et cun»cta a se repellit, procul mutato naturali ipsius »habitu atque peccati duritie, reliqua omnia pro »superfluis habens, in solo Sponso coelesti, quem »recipit, requiescens, in ferventi et ineffabili »eius dilectione«.

Dico VIII⁰ Posse iustos, cum speciali valde divinae gratiae auxilio, tota vita sua semper a certis et determinatis peccatis venialibus abstinere, ita ut ne semel quidem in ea labantur.

De S. Thoma Aquinate scribit noster P. Alvarez del Paz[1]): »Memoriae proditum

[1]) T. 2. l. 1. parte 1. c. 11.

»esse, eum, nunquam suam puram animam inanis »gloriae levi peccato infecisse«. Et tamen difficillimum est, ab inani gloria esse immunem. Unde S. Ambrosius[1]) ait: »Frequenter vanitatum offusione mentem occupari«: et quidem tam valide occupat, ut dicat S. Bernardus[2]): »Esse in peccato primam, et in conflictu postremam«. Quod etiam Cassianus[3]) affirmat.

Hinc apud Cassianum[4]) Abbas Theonas, inter genera peccatorum, in quae etiam Sancti labuntur, ponit: »Subtili caenodoxiae ti»tillatione pulsari«. Si ergo per Christi gratiam potest quis tota vita a vanitatis et superbiae macula adeo expugnatu difficili esse immunis; multo magis ab aliis non ita difficilibus peccatis.

De Theona et Beone Abbatibus scribit Marulus[5]) abstinuisse mendacio. De S. Chrysostomo in Prato spirituali scribit Sophronius, eum post baptismum nunquam iurasse, vel quenquam iurare compulisse, nunquam esse mentitum, non dixisse scurrilia, iocos non admisisse. Et cardinalis Bellarminus nostro praeposito generali P. Mutio Vitellesco dixit, ut scribit Fuligattus in illius vita[6]), »se »ne in pueritia quidem unquam esse mentitum, »et tota vita«. Quod etiam de P. Gonzalo

[1]) L. de fuga 2. c. 1. [2]) L. de ordine claustr. [3]) Coll. 11. et l. 12. Inst. c. 1. [4]) Coll. 22. c. 13. [5]) Lib. 4. c. 9. [6]) Cap. 34.

Sylveria scribit Nicolaus Godignus, eius pueritiam describens[1]): »Iam enim tunc, »doctore numine cognoscebat vilis et abiecti »animi esse, quacunque de causa falsa pueris »dicere, cumque mentiri per se turpe sit, tum »vero nobili viro, cuius magnum ornamentum »simplex veritatis asserio est, multo esse turpis»simum«. De Epaminonda[2]) quoque et sacerdote Aegyptio quodam scribitur nunquam fuisse mentitum. Nam etiam ethnicos Deus iuvabat suae gratiae auxiliis. Abbatem Hor »nullum »mendacium dixisse, nulli maledixisse, nunquam »citra necessitatem locutum fuisse« scribit Palladius[3]) »Idem scribit[4]), Abbatem Pambo sub mortem dixisse, nunquam sibi verbum ex ore poenitendum excidisse. De eodem Gonzalo Sylveria idem scribit[5]), in tota pueritia eam servasse animi moderationem, ut quod est in magnis viris perrarum, neminem unquam, neque ex suis, neque ex alienis re aut verbo vel leviter offenderit. Quod si talis in puerita fuit, quanto magis in matura annis et pietatis studiis virtute. Et tamen his abstinere linguae vitiis, spectato ordinario hominum cursu, diffiicile et veluti impossibile videtur. Hinc S. Iacobus Apostolus ait[6]): »Linguam nullus hominum domare

[1]) Vitae lib. 1. c. 1. [2]) Alex. ab Alex. l. 5. c. 10. ex Aemilio probo. [3]) Hist. Lausiaca c. 9. [4]) Ibid. c. 10. [5]) Loco supra citato. [6]) Iac. 3, 8.

»potest«. Et S. Gregorius[1]): »Quis", inquit, »inveniri potest, qui quamlibet perfectus sit, de »otioso tamen sermone non peccet«? Si ergo haec peccata possunt Christi gratia vitari, vera est nostra conclusio, etiam de aliis.

CAPUT II.

Per diligentem custodiam sensuum et potentiarum internarum nostrarum, homines Deus praeservat a frequenti in peccata venialia lapsu.

Primo: ex parte nostra conducit ad hoc diligens custodia sensuum, et potentiarum nostrarum, ne occasionibus extrinsecis et tentationibus intrinsecis cedant. Pulchre hoc explicat S. Macarius Aegyptius dicens[2]: »Statuas mihi, »transire quendam per loca silvestria, spinosa et »lutosa, ubi et ignis erumpat, et gladii affixi, et »praecipitia sint, et multae aquae. Iam ergo agilis ille, sedulus et immotus, habens oculum du»cem, omnino attente transit loca illa difficilia, »continens undequaque manibus et pedibus tu»nicam suam, ne a fruticibus et spinis discerpa»tur, aut luto commaculetur, aut a gladio diffin»datur. Et oculus totum corpus dirigit, lumen

[1]) Mor. lib. 32. c. 2. [2]) Bib. SS. PP. t. 4. hom. 4.

»ipsius existens, ne per praecipitia disrumpatur, »aut aquis immergatur, aut causa difficili laeda- »tur: sic ergo alacris ille et cautus transgrediens »coarctata veste sua, summa animi sobrietate, »ab oculo recta deductus, non seipsum solum il- »laesum, sed et tunicam suam incombustam et »indivisam conservat. Si vero quispiam minus »alacer, tardus, segnis, socors, lentus et ignavus »haec loca transgrediatur, tunica eius hinc inde »diffluens, fruticibus et spinis discerpitur, aut »igni comburitur, eo quod eam non strenue con- »tineat; aut ab affixis gladiis diffinditur, aut »coeno polluitur, et ut breviter dicam citius per- »dit elegantem ac novam illam vestem propter »negligentiam, oscitantiam et ignaviam suam. »Quinimo si minus diligenter et alacriter oculo »attendat, aut incidet in foveam, aut aquis de- »mergetur. Eodem modo et anima, quae tunicam »corporis gestat, veluti praeclaram vestem, pol- »lens facultate discernendi, quae dirigit totam »cum corpore animam, transeuntem per nemora »et spinas vitae, et per coenum, et ignem, et »praecipitia, hoc est, cupiditates et voluptates, »et reliquas huius saeculi absurditates, ubique »debet sobrie, fortiter, diligenter et attente con- »tinere et observare se ipsam, et tunicam cor- »poris, ne dilaceretur inter frutices et spinas »huius mundi, ut sunt sollicitidines, negotia et »curae terrestres; aut ab igne concupiscentiae »comburatur: ea velut induta oculum avertit, ne

»videat malitiam: similiter et aures, ne audiant »detractiones; linguam, ne loquatur vana; ma»nus et pedes ab actionibus et studiis inhone»statis. Habet enim anima voluntatem avertendi, »et avocandi membra corporis ab inhonestis »spectaculis, ab auscultatione eius quod malum »et turpe est, a sermone minus decenti, et offi»ciis mundanis ac perversis«.

»Avertit etiam se ipsam anima ab occupatio»nibus mentis minus piis, observans cor, ne co»gitationes eius per mundum hinc inde circum»agantur; et sic non absque pugna et labore, »ex omni parte diligenter et attente continens »membra corporis a malitia, ab omni laceratione, »combustione et inquinatione, praeclaram cor»poris tunicam immunem conservat. Illa ipsa »denique per suam voluntatem, quae cognos»cendi, intelligendi et discernendi vi praedita »est, ac omnino ut dicam, per Domini virtutem »conservabitur, quae et se ipsam pro viribus suis »cohibet et ab omni concupiscentia mundana »subducit: atque sic auxilium a Domino nancis»citur, ut revera custodiatur a malis, quae antea »enumeravimus. Si quando enim Dominus quem»piam viderit, qui gnaviter ab huius mundi vo»luptatibus, distractionibus et curis crassis ac »terrenis vinculis atque vanarum cogitationum »occupationibus se avocet, praestat illi peculiare »gratiae auxilium, illaesamque animam illam

»quae fortiter praesens hoc saeculum perversum »pertransit, conservat«.

Huius diligentiae ex parte nostra adhibendae praeclarum exhibuit exemplum Noster Sanctus Pater Ignatius, quia uti scribit Maffeius[1]: »Erat in perpetua quadam vigilia, contra omnes »rerum mortalium illecebras, et otiosam mentis »evagationem«. Hoc et alii Sancti in more habuerunt. Nam ut ait S. Chrysostomus[2]): »Huiusmodi sunt Sanctorum animae, priusquam »ad peccatum perveniant, refraenantur, eo quod »sobriae sint, (scilicet, quoad usum immoderatum »creaturarum) »semperque vigilent«. Vigilandum est autem tum contra vitia illa, quibus maxime obnoxii sumus, tum contra daemones, qui intrinsecus per passionum motus, et extrinsecus per varia sensuum obiecta nos invadunt.

Agnovit hoc et Seneca[3]): »Videamus«, inquit, »quid sit quod nos maxime concitet. Alium »verborum, alium rerum contumeliae movent. »Hic vult nobilitati, hic formae suae parci. Ille »elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus. »Hic superbiae impatiens est, hic contumaciae; »Ille servos non putat dignos, quibus irascatur, »hic intra domum saevus est, foris mitis. Ille ro»gari invidiam iudicat, hic non rogari contume»liam. Non omnes ab eadem parte feriuntur:

[1]) Lib. Vita 3. c. 1. [2]) Hom. 1. de Saule et Davide. [3]) De ira lib. 3. cap. 10.

»scire itaque oportet, quid in te imbecillum sit, »ut id maxime protegas«. Hoc ipsum inculcat S. Gregorius Papa[1]).

Et S. Theodorus Studita[2]) milites hac in re imitari iubet. »Expedit«, inquit, »constituta »habere, quae formides ante terrorem ut egregie »bello commisso prodeamus in aciem; facilis est »enim animus vinci imparatus, qui haud pro»cinctus derepente incat certamen«. Quod ipsum et noster Sanctus Pater Ignatius suadebat, praecipue iracundiae obnoxiis[3]).

Sed, etsi nullis essemus ex naturae depravatae vitio obnoxii peccatis, solus noster hostis diabolus magnam exigit a nobis vigilantiam et nostri custodiam: »Scitis«, inquit S. Chrysostomus[4]), »quia hostem habemus perpetuum »et foederis nesciun. Unde nobis magna vigi»lantia opus est, ita ut eius fraudes vincere, et »superiores eius telis constitui possimus. Neque »enim vi sua et necessitate nos vincit, sed de »ceptione sola. Non autem decipiemur, si parun »esse vigiles voluerimus, et nosmetipsos attende»rimus: non quod nobis tanta sit potestas, sed »quia tunc superna gratia nobis affulget. Nam si »quod nostrum est, fecerimus, sequentur et »omnia quae Domini sunt«.

Ad hanc vigilantiam spectat intenta custodia

[1]) Mor. lib. 5. c. 31. [2]) Ser. 116. [3]) Maff. vita l. 3. c. 1. [4]) Hom. 60. in Gen.

sensuum, quam [1]) in Sancto Patre nostro Ignatio Maffeius commendat. Hinc fiebat, ut quem admodum idem de eo scribit [2]): »Non minus accurate animum ab omni labe tuebatur, »quam qui pretiosis ornati vestibus via lutulenta »coguntur incedere«.

Secundum medium ex parte nostra est, frequens et perpetua imploratio divini auxilii ad fugam peccatorum, et praeservationem ab iis, necessarii. Nam, ut ait idem S. Macarius [3]): »Si dominus cum in mundo esset caecos fecit »videre, curavit paralyticos, morbos omnes sanavit: quanto magis animam ad ipsum conversam, »et ab eo misericordiam implorantem et eius ope »indigentem convertet in laetam affectionum va»cuitatem et statum omnis virtutis et mentis re»novationem restituet sanitate reddita: et cele»rius ac promptius animae immortali atque in»dissolubili, quod corpori mortali concederet li»berationem ab omni vitio vitiosisque affectio»nibus, velut medicam liberationem: is qui nos »admonuit, ut absque pudore, indesinenter et »indefesse ab ipso petamus donum gratiae«.

Et ita S. Ephraem scribit de S. Abraham Eremita [4]), cum ei daemon in habitu adolescentis apparuisset, inter alia id exprobrasse daemoni, quod beneficio gratiae Christi »una

[1]) Maffei vita l. 3. c. 1. [2]) Ibidem. [3]) Hom. 4. n. 25. [4]) In Vit. c. 15.

»diligentium Deum oratio sic te persequitur ac »deturbat, quemadmodum pulvis a vento in- »sectatus dispergitur. Haec eo dicente, confestim »ille evanuit«.

Scribit Ruffinus[1]), dicere solitum Abbatem Ioannem: »similis debet esse monachus homini »sedenti sub arbore, qui respiciens feras diver- »sas et serpentes venientes ad se, cum non po- »tuerit eis resistere, ascendit in arborem, ut »evadat. Ita et monachus sedeat in cella sua, et »respiciens pravas cogitationes venientes super »se, et cum non potuerit eis resistere, confugiat »per orationem ad Dominum, et salvabitur. Idem »dicebat: similis debet esse monachus homini »habenti ignem a sinistra, et a dextra aquam, »quoties enim succensus fuerit ignis, tollit de »aqua et extinguit illum. Sic oportet et mona- »chum facere omni hora, ut quandocunque co- »gitatio turpis succensa fuerit ab inimico, tunc »aquam orationis effundat et extinguat illam«.

Et iterum[2]): »Interrogavit quidam frater »Abbatem Isidorum Scithinensem de cogitatu »fornicationis. Respondit ei senex: Quod quidem »veniat cogitatio fornicationis, animum contur- »bans et occupans, sed actum implere non prae- »valens, neque proficiens, sed tantum impedit ad

[1]) De vit. Patr. lib. 3. n. 208. et 209. [2]) De vit. Patr. lib. 6. n. 20.

»virtutem; sobrius autem vir a se eam discu»tiens, ad orationem statim convertitur«.

CAPUT III.

Frequens imploratio divini auxilii ad praeservationem a peccatis necessarii, conducit ad vitanda frequentia peccata venialia.

Quocirca dixit S. Chrysostomus [1]): »Impossi»bile hominem congruo precantem studio, et ite»rum, hominem qua decet alacritate precantem, »et assidue Deum orantem, Deoque continue »supplicantem, unquam peccare, unquam in pec»catum incidere. Id qua ratione fiat«, inquit S. Chrysostomus, »iam dicturus sum. Qui men»tem suam accendit, et animam erexit, tanquam »ad coelestia migraturam, atque ita Dominum »suum invocavit, peccatisque in memoriam re»ductis, de eorum remissione collocutus est, ob»secrans, ut placatus ac propitius sibi esse di»gnetur, is post tales orationes omnem praesen»tis vitae curam abiicit, spe erigitur, ac supra »omnes humanas affectiones extollitur: et sive »inimicum post precationem viderit, iam non »tanquam inimicum aspiciet, sive mulierem for»mosam, inviolatus ab eius aspectu permanebit, »durante adhuc igniculo per precationem intus

[1]) Hom. 79. ad pop. et hom. 4. de Anna.

»accenso, et omnem absurdam cogitationem a se »propellente. Sed quoniam homines cum simus, facile ad segnitiem relabimur, exacta una alterave aut tertia post precationem hora, ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere, recurre quantocius ad preces, frigescentemque mentem rursus accende. Id si per totam diem feceris, per intervalla crebris precationibus te ipsum accendens, non dabis occasionem diabolo, aut ullum ad tuas cogitationes aditum. Et quemadmodum in apparando prandio, quoties calido potu opus est si aqua parum caleat, ad focum admotam eam calefacimus, ita et hic faciendum est, et os nostrum ad precationes quasi ad prunas admovendum, ut hoc pacto mens ad pietatem rursum accendatur. Imitemur etiam fabros caementarios. Hi enim quoties lateritius paries exaedificandus est, in veteri etiam tum structura, eum longuriis interfulciunt, idque non per longa interstitia, sed per modica, ut compages laterum tutior sit ob lignorum frequentiam. Idem ipse »quoque facito. Et quemadmodum illi astringendo »aedificio ligna inserunt, ita tu secularibus ne»gotiis precationes crebras interponens, vitam »tuam hoc pacto sepito. Quod si feceris etiamsi »plurimae procellae ingruant, sive tentationes, »sive moestitiae, sive cogitationes molestae, sive »quodvis aliud, nihil deicere poterit domum tam »crebis precationibus suffultam atque munitam«.

Ideo S. Bernardus[1]) tradens modum fugiendi peccata graviora et foeda, dum se ingerunt foede cogitationes, quae, inquit »non sunt »tanquam lutum aut limus, sed tanquam im»mundissimum ac foetidissimum caenum, quod »nec admittere quidem ulla ratione debemus, sed »a longe praesentire foetorem, et tota virtute »repellere, toto animo propulsare«, hoc remedium et antidotum huic veneno tradit: »Con»verti statim ad gemitus, lacrimis atque suspiriis »invocantes Spiritum, qui adiuvet infirmitatem »nostram«. Inter tentationes enim maxime opus habemus divinae gratiae auxiliis, ad peccata libidinis avertenda, iuxta illud Sapientis[2]): »Nemo »potest esse continens nisi Deus det«. Cum ergo naturae viribus vinci nequeat foeda et gravis tentatio, oratione quaerendum est supernum auxilium. Nam ut ait S. Augustinus[3]), et ex illo concilium Tridentinum[4]): »Admonet nos Deus, »facere quod possumus, et petere quod non pos»sumus, et adiuvat ut possimus«. Ideo enim »iu»bet quaedam quae non possumus«, inquit idem alibi[5]): »ut sciamus quid ab illo petere debea»mus«. Petendum est autem magno conatu. Quia ut scribit[6]) S. Innocentius I. Papa ad concilium Carthaginense: »Nisi magnis precibus

[1]) Serm. de tripl. gen. cogit. [2]) Sap. 8, 21. [3]) Lib. 1. de nat. et grat. c. 43. [4]) Ses. 6. c. 40. [5]) Lib. 1. de grat. et lib. arbitr. [6]) Apud S. August. Ep. 91.

»gratia in nos implorata descendat, nequaquam »terrenae labis et mundani corporis vincere co»nemur errores, cum pares nos ad resistendum, »non liberum arbitrium, sed Dei solum facere »possit auxilium«. Quoniam vero teste Apostolo Petro[1]: »Adversarius noster tanquam leo ru»giens, circuit quaerens quem devoret«, et, ut ait S. Leo Papa[2]: Novit cui adhibeat aestus »cupiditatis, cui illecebras gulae ingerat, cui ap»ponat incitamenta luxuriae, cui infundat virus »invidiae. Novit quem moerore conturbet, quem »gaudio fallat, quem metu opprimat, quem ad»miratione seducat. Omnium discutit consuetudi»nem, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi »causas quaerit nocendi, ubi quemque viderit »studiosius occupari«. Et ut decipiat, »est sem»per insomnis«, ut scribit S. Isidorus Pelusiota[3], »frequenti et ferventi oratione munien»dus est animus, ne ab eo per peccata suggesta »vincatur«. Merito itaque S. Zosimus Papa, S. Innocentii successor, in epistola, cuius meminit Caelestinus Papa in epistola ad Gallos[4]: »Quod«, inquit, »tempus intervenit, quo eius non »egemus auxilio? In omnibus igitur actionibus, »causis, cogitationibus, motibus, adiutor et pro»tector orandus est. Superbum est enim, ut quid»quam sibi humana natura praesumat, clamante

[1]) 1. Per. 5, 8. [2]) Serm. 7. de nativit. [3]) Lib. 2. cap. 164. [4]) Cap. 9.

»Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus »carnem et sanguinem, sed contra principes et »potestates etc.«. Sed eae oratione vincuntur, quia ut nos animat S. Cyprianus[1]: »Quid- »quid suppliciter cum timore et honore Dei pe- »titur, ipsius pietate praestatur«.

CAPUT IV.

Fuga rerum mundanarum, et studium Deo serviendi, ac desiderium proficiendi in virtutibus, et novissimorum memoria, iuvat, ne in frequentia peccata labamur.

Tertium medium proponit idem S. Macarius[2]): fugam rerum mundanarum, et perpetuam quodammodo Deo adhaesionem per studia virtutum: »Eiusmodi anima Dei auxilio »digna habetur, quae omnia pro superfluis exi- »stimat, et in re nulla mundana acquiescit; sed »expectat in requie benignitatis requiescere et »gaudere: et sic per huiusmodi fidem coeleste »donum consecuta, omne suum desiderium in »plena fide per gratiam collocat, et denique con- »grue et convenienter Spiritui Sancto ministrat, »quotidie bonitate proficit, inque via iustitiae »perseverans in perpetuum, ad malitiae genera »non flectitur, nec ad vitia ullo modo declinat,

[1]) S. 7. de orat. Dominica. [2]) Ibidem.

»atque gratiam in nulla re tristitia afficit, et aeterna salute eum omnibus sanctis digna censetur, velut illa socia et comes imitatione eorum in mundo conversata«. Et alio in loco [1]): »Amabile enim est quidpiam anima, quae tota omnino seipsam Domino consecrans, illique soli adhaerens, in eius mandatis sine ulla oblivione ambulans, atque Spiritum Christi advenientem, et obumbrantem reverenter honorans digna habetur, ut cum ipso unus spiritus et una res fiat. Sicut inquit Apostolus [2]: Qui adhaeret Domino, unus spiritus est. Si vero quis seipsum tradat curis aut gloriae aut dignitatibus aut honorum humanorum curam habeat et haec studiose quaerat: sique anima eius terrenis cogitationibus commisceatur aut confundatur aut rei alicui huius saeculi dedita sit ac obstricta teneatur, desideretque huiusmodi anima transilire, effugere atque expellere tenebras affectionum, in quibus detinetur a malitiosis potestatibus, non potest; eo quod diligat ac faciat voluntatem tenebrarum, nec capitali odio persequatur studia malitiae«.

Pulchre hoc illustrat S. Chrysostomus [3]): »Daemon de loco inferiore nobis infert bellum quia a rebus infimis, ut a voluptatibus, a divitiis, et praesentibus his vitae bonis nos impugnat:

---

[1]) Hom. 9. n. 12. [2]) 1. Cor. 6, 17. [3]) Serm. de laude Dei tom 5.

»verum si quem viderit subvolantem ad coelum, »et superiora tenentem, primum neque hunc »subsequi sursum versus saliendo poterit, deinde »si id facere fuerit enisus, celerrime casurus »est: caret enim pedibus, caret alis, humi rep»tat, terrenis in rebus versatur, in quibus si ni»hil tibi erit cum eo commune, eris sane labore »vacuus: nec enim ille novit in aperto vel in »faciem pugnare, neque secus atque anguis lati»tans, divitiarum se latebris occulit«. Et alibi[1]) ponderans illud[2]): Agnosce quod in medio laqueorum transis: »Undique cum »diligentia perscrutemur, undique laquei, ne de»orsum ergo volemus, sed superiora quaeramus. »Etenim volatilia donec altum aërem secant, »non facile capiuntur, ita tu donec ad superiora »respexeris nec laqueo, nec ullis facile capieris »insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius »lustris sublimior, in altum ascendens, non am»plius ullam rerum admirere humanarum« [3]). Hoc ipsum scriptum reliquit S. Theresia[4]): »Im»possibile mihi«, inquit, »videtur, ut qui veram »abnegationem omnium creaturarum habent, Do»minum offendant, cum omnia eorum opera et »verba, ab illo ne vel minimum discedant: unde »etiam maiestas ipsius, ab iis se subtrahere nolle »videtur«.

[1]) Hom. 15. ad pop. [2]) Eccl. 9, 20. [3]) Vide reliqua col. 4. loci cit. [4]) Lib. fundat. c. 4. post. med.

Quartum medium recenset, insatiabile desiderium proficiendi in virtutibus, coniunctum cum vili opinione de se ipso. S. Thomas[1]) disputans per quae media Beati in coelo nunquam peccant, sed sunt confirmati in gratia, tandem subdit: »Affectus pervenit ad fi»nem, non solum quando finem perfecte possidet (uti Beati) sed etiam quodammodo, quando ipsum »intense desiderat. Et per hunc modum, aliquo »modo in statu viae aliquis potest confirmari in »bono. Huiusmodi, inquit S. Macarius, animae, »merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque »perfectam illuminationem, et participationem »Sanctorum arcani Spiritus ac misticae societa»tis in plenitudine gratiae«. Vacuitas autem ab affectionibus, quae sunt causa omnium peccatorum, et plenitudo gratiae, sunt duo sufficientissima praesidia ad rarum in peccatum lapsum. Et tandem subdit: »Talem animam confidere »sine dubio per gratiam Spiritus se plene libe»ratum iri a peccato, et tenebris affectionum, ut »purificata per Spiritum, et anima et corpore »sanctificata, vas purum evadere mereatur, ad »suscipiendam caelestem unitionem, in quo ma»nere dignetur caelestis ac verus rex Christus. »Et tum efficitur digna caelesti vita, et inde fit »habitaculum purum Spiritus Sancti. Verum ut »ad eum usque gradum perveniat anima, non est

[1]) Q. 24. de verit. a. 9. ad 1.

»promptum, neque sine probatione contigit, sed »cum laboribus et certaminibus multis, per longa »temporum spatia et studia, cum probatione et »tentationibus variis, spirituale incrementum et »promotionem accipit, pertingendi ad praefatam »mensuram evacuationis affectuum, ut ad omnem »tentationem quae a vitiis suggeritur, alacriter »et viriliter perdurans, summos honores, et spi»ritualia carismata, divitiasque caelestes conse»quatur«.

Quintum medium tradit Spiritus Sanctus: memoriam novissimorum: »In omnibus ope»ribus tuis memorare novissima tua, et in aeter»num non peccabis« [1]). Unde bene S. Climacus narrat [2]), quendam monachum negligentem, cum fuisset mortuus, et ad vitam rediisset, inclusisse se in cella, et per duodecim annos cum nullo locutum esse: nil praeter panem et aquam gustasse: et tantum ea quae in excessu viderat cum lacrimis animo volutasse: tandem ante mortem requisitum, dixisse: »Nemo, qui mortis me»moriam animo infixerit, peccare unquam pote»rit«. Sic Cassianus [3]): »Generale«, inquit, »vitiorum omnium peremptorium esse non du»bium est, ut se de hoc mundo credat quotidie »migraturum. Haec enim persuasio universos »concupiscentiarum ac peccatorum omnium com-

[1]) Eccl. 7, 40. [2]) Scala paradisi gr. 6. [3]) Coll. 16. cap. 6.

»primet motus«. Hinc S. Pachomius[1]) postquam per angelos elevatus a terra Dominum Iesum in spinea corona sibi apparentem vidisset, reversus ad se ex raptu, convocatis suis discipulis inter alia monita haec illis dedit: »Ante »omnia, prae oculis habeamus ultimum diem, »et momentis singulis aeternorum dolorum sup»plicia formidemus. Nam qui semper haec cogi»tat, puritatem mentis obtinet, humilitatem cor»dis acquirit: vanam gloriam respuit: omni sae»culari prudentia carere contendit. Philosophetur »ergo, clarissimi fratres, anima spiritualis quoti»die adversus crassam carnis suae materiam: »omnique circumspectione cum ea taliter agat, »quatenus ad meliora sibi consentiat. Et cum »vespere pervenitur ad stratum, singulis mem»bris corporis sui dicat: Donec simul sumus, »obedite mihi suadenti quae recta sunt, mecum»que Domino cum alacritate servite. Manibus »quoque suis dicat: Veniet tempus, quando »iactantia vestra cessabit, quando pugillus admi»nistrator iracundiae non erit, quando palmae, »quae ad rapinas extensae sunt, conquiescent. »Pedibus dicat: Erit quando ad iniquitatem non »valebitis prorsus excurrere, quando pravitatis »itinera non poteritis intrare. Cuncta quoque »membra sua similiter alloquatur, et dicat eis: »Antequam mors nos ab invicem dirimat, et

[1]) Vit. cap. 46.

»separatio quae per peccatum primi hominis ac»cidit, impleatur: certemus fortiter, stemus per»severanter, viriliter dimicemus, sine torpore at»que pigritia Domino serviamus, usque dum rur»sus adveniat, et temporales abstergens sudores »nostros, ad immortalia nos regna perducat. »Fundite lacrimas, oculi, demonstra, caro, tuam »nobilem servitutem, collabora mecum in preci»bus, quibus Deo confiteor, ne, cum requiescere »vis atque dormire, perpetua nobis cruciamenta »conquiras. Et ideo vigila semper in operibus »tuis, quia si te sobrie gesseris, bonorum tibi »retributio copiosa proveniet. Quod si neglexe»ris, tormentorum genera miseranda te succident: »et tunc audietur ululatus animae deflentis ad cor»pus: Heu me! quia colligata sum tibi, et pro»pter te poenam perpetuae condemnationis ex»cipio. Si haec intra nos assidue retractemus, »efficiemur vere templum Domini, et Spiritus »Sanctus habitabit in nobis, nec ulla nos sata»nae poterit ulterius circumvenire versutia [1]). Su»per decem milia quoque paedagogorum magi»strorumque doctrinam, timor Domini per cogi»tationes huiuscemodi nos erudiet, prudentesque »custodiet: et quaecumque forsitan humano sen»su non valemus attingere, haec nobis Spiritus »Sanctus inspirabit. Nam quid oremus, ut bea»tus ait Apostolus, sicut oportet, nescimus; sed

[1]) 1. Cor. 4.

»ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus in»enarrabilibus« [1]).

Sic et S. Antonius docebat [2]): »Ad iner»tiam calcandam Apostoli praecepta replicemus, »quibus se mori quotidie testabatur: similiter et »nos humanae conditionis vitam ancipitem re»tractantes non peccabimus. Cum enim excitati »a somno, ad vesperam nos pervenire dubite»mus, et quieti corpora concedentes, de lucis »non confidamus adventu, et ubique naturae ac »vitae incertae memores, Dei nos providentia »intelligamus gubernari; hoc modo non delin»quemus aut aliqua fragili cupiditate raptabimur; »sed nec irascemur quidem adversus aliquem, »nec terrenos congregare thesauros ambiemus: »quin potius metu quotidiani recessus et seiun»gendi corporis iugi meditatione omnia caduca »calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis »extinguetur incendium, invicem nobis debita »nostra donabimus, ante oculos semper habentes »ultimae retributionis adventum: quia maior for»mido iudicii et poenarum timor horridus, simul »et lubricae carnis incentiva dissolvit, et ruen»tem animam quasi ex aliqua rupe sustentat«. Et S. Chrysostomus [3]): »Si perpetuo ac »singulis diebus, quam incertus sit obitus prae»meditemur, haud facile peccata committemus.

[1]) Rom. 8. [2]) Vitae S. Antonii c. 15. [3]) Hom. de Sancta Droside mart.

»Propterea Sapiens admonet quispiam dicens [1]): »In omnibus sermonibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis«. Et Abbas Chaeremon apud Cassianum [2]): »Tria«, inquit, »sunt, quae faciunt homines a vitiis temperare, id est, aut metus gehennae, sive praesentium legum; aut spes atque desiderium regni caelorum, aut affectus boni ipsius amorque virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur execrari: Timor Domini odit malum [3]). Spes etiam, vitiorum omnium excludit incursum. Non delinquent omnes qui sperant in eo [4]). Amor quoque ruinam non metuit peccatorum, quia caritas nunquam excidit [5]). Et iterum: caritas operit multitudinem peccatorum [6]). Et idcirco beatus Apostolus omnem salutis summam istarum trium virtutum consummatione concludens [7]): »Nunc«, inquit, »manent fides, spes, caritas: tria haec. Fides namque est, quae futuri iudicii ac suppliciorum metu vitiorum facit contagia declinari, spes, quae mentem nostram de praesentibus avocans, universas corporis voluptates caelestium praemiorum expectatione contemnit; caritas quae nos ad amorem Christi et spiritalium virtutum fructum mentis ardore succendens, quidquid illis contrarium est, toto facit

[1]) Eccl. 7. 40. [2]) Coll. 11. cap. 6. [3]) Prov. 8, 13. [4]) Ps. 33, 23. [5]) 1. Cor. 13, 8. [6]) Iac. 5, 20. [7]) 1. Cor. 13, 13.

»odio detestari«. Sic et S. Gregorius Papa [1]): »Perfecta vita«, inquit, »est mortis imitatio, »quam dum iusti sollicite peragunt, culparum »laqueos evadunt. Unde scriptum est [2]). In omni»bus operibus tuis memorare novissima tua et »in aeternum non peccabis. Unde et B. Iob, »quia dies suos considerat breviari, et solum »sibi superesse sepulcrum pensat, apte subiun»git, non peccavi«.

CAPUT V.

Per sanitatem affectionis et affectus divinae charitatis et per moderationem passionum, ac diminutionem fomitis impediuntur frequentia peccata.

Sextum medium est sanitas affectionis. Sic S. Augustinus scribit [3]), se tribus modis a peccato conservatum: scilicet, occasionis substractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Sanitas autem haec affectionis, est, avulso affectu a rebus terrenis et desideriis mundanis, plena adhaesio ad Deum, et occupationes divinas, quam Deus solet servis suis concedere tam vehementem, ut sentiant in se ex unione cum Deo nauseam sensi-

[1]) Mor. lib. 13. c. 10. [2]) Eccles. 7, 40. [3]) Lib. de dilig. Deo cap. 12.

bilem omnium oblectationum mundanarum, quae etiam sine peccato admitti possent. Peccata enim, ut plurimum, oriuntur ex aliquo ad res terrenas affectu; qui ergo per sanatam a Deo affectionem caret his affectibus et Deo adhaeret, habet a se Dei beneficio amputatas causas lapsuum in venialia peccata. Hoc ita explicat S. Thomas[1]): »Si fiat perfecta unio liberi arbitrii cum Deo, »ita ut ipse Deus sit liberi arbitrii tota causa »agendi, in malum flecti non poterit, quod qui»dem in aliquibus contingit, et praecipue in »beatis«.

Septimum medium est cor plenum affectibus divinae caritatis, quos Spiritus Sanctus in homine tunc excitat, cum occurrit aliqua occasio peccati. Hac ratione Beata Virgo Maria se praeservatam dixit ab omni peccato S. Birgittae[2]): »Tam affluenter me »totam replevit Spiritus Sanctus, quod nihil in »me vacuum reliquit ad peccati alicuius introi»tum. Et ideo ego illa sum, quae nunquam com»misi peccatum veniale vel mortale. Ego quippe »in caritate Dei tam ardens eram, quod mihi ni»hil placuit nisi perfectio voluntatis. Fervebat »enim in corde meo ignis divinae caritatis«.

»Sunt aliqui«, inquit B. Laurentius Iustinianus[3]), »quamvis non multi numero,

[1]) Quaest. disp. q. 24. de verit. a. 8. [2]) Revel. l. 3. c. 8. [3]) De instit. et regim. Praelatorum c. 14.

»comparatione caeterorum, in omni virtute pro»bati atque perfecti, qui pro consuetudine exer»citatos habent corporis et animae sensus. Hi »quidem pugnam sentiunt, sed impugnatori ne»quaquam etiam in parvis, voluntatis assensum »praebent: tum quia Spiritus S. inhabitantis gra»tia sunt edocti: tum quia caritatis sunt vehe»mentissima flamma succensi: quae profecto il»los roborat in certamine, ad profectum virtutis »impellit, mentem trahit ad Christum et merito»rum coronat triumphis«. Et iterum [1]): »Qui ar»dentius diliguut, rarius peccant«, (loquitur autem de venialibus peccatis) »cautius vivunt, in»cedunt accuratius, velocius surgunt, clarius »agnoscunt«.

Et ita apud Cassianum [2]) Abbas Chaeremon inter tria quae faciunt homines a vitiis abstinere, scilicet poenae metum, et spem praemii, tertio ponit boni affectum, qui ex caritate Dei procedit: »Quae tria«, inquit, scilicet fides spes et caritas, »licet ad unum finem tendere vi»deantur, magnis tamen excellentiae suae gradi»bus ad invicem disparantur. Duo namque su»periora proprie sunt hominum eorum, qui ad »profectum tendentes, necdum affectum conce»pere virtutum. Tertium specialiter Dei est, et »eorum, qui in sese imaginem Dei ac similitudi»nem receperunt«.

[1]) Ibid. c. 21. inter med. et fin. [2]) Coll. 11. c. 6.

Sic et Iulianus Pomerius[1]): »Si Deum »ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, »unde peccati disideriis serviamus«. Unde Bellarminus[2]): »Interdum«, inquit, »perfecti di»cuntur, qui semper actu diligunt Deum, et »omnia quae faciunt in ipsum referunt. Cum qua »perfectione nullum peccatum ac ne veniale qui»dem consistere potest. Sed haec perfectio pro»pria Beatorum est etc.«. Qui ergo fere semper ita operatur, fere semper vivit sine peccato veniali. Ideo et Calvinus[3]): »Quae vitiosa co»gitatio obreperet in hominis animum, si totus »Dei amore occuparetur?«

Octavum medium. Passionum moderationem et voluptatis fugam, proponit S. Basilius[4]): »Si quis adhibita conti»nentia a voluptate, se neque effeminari passus »sit, neque inflecti, hic sine controversia quod»vis penitus peccatum effugerit«. Supra autem dixerat: »Qui omnibus animi sui affectionibus »moderatur, neque voluptatis titillatione ulla per»movetur, contraque fortiter constanterque adver»sus quamcunque pravam libidinem animatus »est, hic perfecte continens est. Porro qui est »eiusmodi, is sine dubio liber est ab omni pec»cato«. Et alibi dixit[5]): »Continentiam appella-

[1]) De vit. cont. lib. 3. c. 15. [2]) De amiss. grat. c. 6. in resp. ad I-am obiect. [3]) Antid. concilii Trid. sess. 6. cap. 12. [4]) Reg. 18. fusius. [5]) Reg. 16. fusius.

»mus, non si quis se a cibo penitus abstineat, »quando hoc violenta quaedam vitae dissolutio »est, sed eam, quam tollendae contumaciae cor»poris causa, pietatis ergo, de industria sequi»mur rerum voluptatem titillantium abstinen»tiam«.

Nonum medium est ex magno virtutum exercitio et cumulo emanans concupiscentiae seu fomitis diminutio. Bene enim ait S. Augustinus[1]): »Quan»tum ad nos attinet, sine peccato semper esse»mus, donec sanaretur hoc malum« (scilicet concupiscentia, quae est in membris nostris repugnans legi mentis) »si ei numquam consentiremus »ad malum. Sed in quibus ab illo rebellante etsi »non lethaliter, sed venialiter tamen vincimur, »in his contrahimus unde quotidie dicamus: Di»mitte nobis debita nostra«. Hinc Suarius[2]) et Bellarminus[3]) probans Beatam Virginem vixisse sine ullo peccato veniali: »Nam potissi»ma«, inquit, »causa, cur a peccatis venialibus »omnino liberari nequeamus in hac vita, est »concupiscentia illa carnis, quae et peccati fo»mes a theologis dicitur, quam ex iustitiae ori»ginalis amissione contraximus, a quo fomite »Beata Virgo, ut S. Thomas[4]) ait: in prima

[1]) Contra Iulian. lib. 2. c. 10. initio. [2]) Tom. 2. p. 3. disp. 4. s. 5. [3]) De amiss. grat. lib. 1. c. 6. resp. ad obiect. 4. [4]) P. 3. q. 27. a. 3.

»sanctificatione vel plane liberata, vel (quod ipse »magis probat) tanta gratiae copia repleta fuit, »ut fomes in ea ligatus manserit, ac deinde in »ipsa filii conceptione penitus ablatus fuerit«. Atqui fomes peccati per Eucharistiam minuitur, ut dicit S. Thomas[1]. Imo et per exercitium virtutum. Unde S. Augustinus[2]) disserens de concupiscentia, cum qua nascimur, per peccatum originale natura vitiata, reatu peccati originalis, et concupiscentia post ablatum baptismo originale peccatum remansura (qua de re toto illo libro agit) dicit: »Deum regenerare hominem »generatum ex semine sanareque vitiatum, a re»atu statim«, (scilicet per baptismum susceptum) »ab infirmitate« (scilicet fomite et quod idem est, iuxta concilium tridentinum[3]) concupiscentia) »paulatim«. Et alio loco[4]): »Concupiscen»tia«, inquit, »carnalis (quae manet in corpore »mortis huius, cuius vitiosis desideriis ad illicita »perpetranda, non obedire praecipimur, ne re»gnet peccatum in nostro mortali corpore) quo»tidie minuitur in proficientibus et continenti»bus, accedente autem senectute multo maxime«. Et alibi[5]): Concupiscentia surrepit tanto magis, »quanto minus quisque, et tanto minus, quanto

[1]) P. 3. q. 79. a. 6. ad 3. [2]) Contra Iulian. lib. 2. c. 4. [3]) Sess. 5. num. 5. [4]) De nupt. et concup. lib. 1. c. 5. [5]) De perf. iustit. c. 8.

»magis profecerit«. Et iterum [1]): »de passioni»bus, concupiscentiaeque motibus per carnem re»bellem spiritui nos impugnantibus« (ut sunt a peccatis diversae), dicit eas »nobis ad meliora »proficientibus, magis magisque minui: discede»dente hinc anima pia perire: in resurgente cor»pore non redituras«. Et S. Thomas [2]), cum, probans Christum non habuisse fomitem peccati, dixisset, id praestitisse »gratiam et omnes vir»tutes secundum perfectissimum gradum«, etiam de aliis dicit: »Virtus«, inquit, »moralis quae »est in irrationali parte animae, eam facit esse »rationi subiectam: et tanto magis, quanto per»fectior fuerit virtus: sicut temperantia concu»piscibilem et fortitudo ac mansuetudo irascibi»lem (ut dictum est in secunda parte). Ad ra»tionem autem fomitis pertinet inclinatio sensua»lis appetitus in id, quod est contra rationem [3]). »Sic igitur patet, quod quanto virtus in aliquo »fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debi»litatur vis fomitis«. Et addit [4]): »Inferiores vires »pertinentes ad sensibilem appetitum, naturaliter »sunt obedientes rationi etc. Et ideo perfectio »virtutis, quae est secundum rationem rectam, »excludit fomitem peccati, cuius ratio consistit in »resistentia sensualis appetitus ad rationem«.

[1]) Contra Iulian. lib. 2. c. 3. fin. disput. [2]) P. 3. q. 15. a. 2. [3]) I-a II-ae q. 56. a. 1. [4]) Loc. cit. ad 1.

CAPUT VI.

Sollicitudo assidua ne offendatur Deus. Deique praesentis memoria, et generosa repulsio tentationum nos invadentium prodest ad vitanda peccata.

Decimum medium est timor et sollicitudo filialis assidua, ne offendatur Pater caelestis. Hinc S. Gregorius explicans illum locum [1]): Verebar omnia opera mea, ait: »Ipsa bona nostra, quia insidiantis culpae evadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie »timore muniantur, per sanctum virum nunc recte »dicitur verebar omnia opera mea«. Sic S. Chrysostomus [2]): »Consideratione laqueorum in quibus incedimus«, (per quae cum timore incedendum est, ne offendatur Deus) »peccata vitari dixit. Validior est«, inquit S. Bernardus [3]), »et vehementior spiritus timoris ad »resistendum peccato, quam pudor et dolor; »quia pudor de multitudine, et dolor de quali»cunque huius mundi consolatione capit sola»tium; timor vero non invenit unde console»tur«.

Undecimum medium est memoria Dei praesentis et omnia spectantis.

---

[1]) Iob. 9, 28. [2]) Hom. 15. ad pop. col. 3. [3]) Serm. de primord. med. et noviss. n. 4.

Nam, ut ait S. Chrysostomus[1]): »Si homi›nem prae oculis habentes, segniores sumus ad »peccata admittenda, imo saepius famulos mo›destiores reverentes nihil absurdi facimus, co›gita quanta fruemur securitate si Deum prae »oculis habeamus?« »Quis enim unquam«, inquit S. Basilius[2] »eorum, quae credunt Deum in ›omni loco esse, et iis rebus quae fiunt inte›resse, ac adesse unicuique actioni voluntatesque »cordium perspicere, aut cogitationem pravam ›suscipiet, aut scelera patrabit? Verum tum pri›mum homines ad scelera patranda descendunt, ›cum aut Deum non inspicere, aut illi curae non ›esse, quae hic geruntur, autumant«. Aut, addam ego, cum obliti Deum spectare omnia, affectibus concupiscentiae morem gerunt, contra rationis et divinarum legum praescriptum. Ideo Susanna sollicitata ad scelus, quae memor erat praesentis et sua videntis omnia Dei, peccare noluit[3]): »Angustiae sunt mihi undique: si enim »hoc egero, mors mihi est«: (scilicet animae, quae spiritualiter moritur peccando lethaliter, quia, ut ait S. Augustinus[4]): »Habent et »animae mortem suam in impietate atque pec»catis«. Imo »ipsum peccatum«, inquit S. Basilius[5]), »mors est animae, alioqui immortalis, »si »autem non egero«, (pergit Sancta Matrona) »non

[1]) Hom. 4. in Rom. [2]) Or. 2. de peccato. [3]) Dan. 13, 22. [4]) De civ. Dei lib. 22. c. 6. [5]) Or. in Iulit.

»effugiam manus vestras. Sed melius est mihi »absque opere incidere in manus vestras, quam »peccare in conspectu Domini«. Et ita quidam sanctus senex dixit[1]): »Haec de negligen»tia patimur«.

Agnovit hoc et Seneca[2]) naturae lumine: »Magna pars«, inquit, »peccatorum tollitur, si »peccaturis testis assistat. Aliquem habeat ani»mus, quem revereatur, cuius auctoritate etiam »secretum suum sanctius faciat. O felicem, qui »sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quo»que eius se componat atque ordinet. Qui sic »aliquem vereri potest, cito erit verecundus. Elige »itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis rigi»dus, elige remissioris animi Laelium: elige eum »cuius tibi placuit et vita et oratio: et ipsum »ante te ferens, et vultum ipsum tibi ostende, »vel custodem vel exemplum«. Et cum citasset Epicuri sententiam dicentis: »Sic fac omnia, tan»quam spectet aliquis«: subdit: »Prodest sine »dubio, custodem sibi posuisse, et habere quem »respicias: quem interesse cogitationibus tuis iu»dices. Hoc quidem longe magnificentius est, sic »vivere, tanquam sub alicuius boni viri et prae»sentis semper oculis. Sed ego hoc etiam con»tentus sum, ut sic facias quaecunque facies, »tanquam spectet aliquis. Omnia nobis mala so-

---

[1]) Vit. Patr. l. 5. num. 17. apud Rosweydum p. 575.
[2]) Cap. 1.

»litudo persuadet. Cum iam profeceris tantum, »ut sit tibi etiam tui reverentia, licebit dimit»tas paedagogum. Interim te aliquorum auctori»tate custodi«. Ideo M. Crassus[1]), praestans orator, cum praesentem haberet virum gravem Mucium Scaevolam et petens consulatum, vellet pro more blandiri populo, palpare obvios atque prensare: »Quaeso«, inquit, »Muci, paulisper ab»scedas, nec comitatu tuo me honestari putes, »impedis honorem meum: te spectante, ineptus »esse non possum«.

Si tantum praesentia et oculi hominis valent, quid Dei, si eum ut videntem nostra omnia circumferamus in mente? Et ita S. Basilius[2]) in regulis brevibus cum proposuisset interrogationem: »Quomodo possit aliquis non irasci?« sic respondit: »Nempe, si illud existimet, Deum quae »agat, omnia animadvertere, eumque assidue ob »oculos habeat, et tanquam in speculo contem»pletur. Quis est enim alterius potestati subiec»tus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus »sit unquam eorum, quae ipsi non placent?«

Nota et trita sunt exempla personarum vitiis deditarum, viva consideratione praesentis Dei compunctarum et a peccandi voluntate abductarum, qua de re egi in opusculo de praxi divinae praesentiae capite primo.

Duodecimum medium est ingruente

---

[1]) Mamert. in panaeg. Iul. [2]) Interr. 29.

tentatione vel cogitatione de peccato aliquo committendo, vehementer statim est ei resistendum. S. Chrysostomus[1]) pulchre his similitudinibus id suadet: »Quando parvam animi »perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, »quod parva sit, sed considera, id quod ex ea »alitur, maxima mala parere. Etenim postquam »in domo aliquantum stuppae accensum videri»mus, conturbamur, et tumultum movemus: non »enim attendimus initium, sed ex initio finem »considerantes, movemur et concurrimus, ut to»tum caminum extinguamus. Hoc igne vehemen»tius animam excedit vitium. Oportet itaque »praevenire. Nam si fuerimus negligentes, id »correctu evadet difficilius. Hoc viderit quispiam »evenire etiam in navigio, et conturbari nautas, »non quando mare iam superare sed quando id »facturum esse viderint. Ne simus ergo in par»vis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum »magna vehementia, ut liberemur a maioribus, »et bona futura consequamur«.

Cum S. Pachomio[2]) apparuisset daemon specie pulcherrimae mulieris, illeque eam interrogasset: »quomodo nunc adversus Dei famulos »non potes praevalere? illa respondit: Iam tibi »ante praedixi; ex quo mirabilis incarnatio Chri»sti facta est in terris, nos sine viribus prorsus

[1]) Expositio in Ps. 6. [2]) Vitae PP. cap. 48. et 49. (Ros. p. 136. col. 1.).

»existere coepimus: ita ut ab his qui credunt »in nomine eius, illudamur ut passeres« (quod intelliges si cooperando gratiae Dei valide initio tentationis resistant). »Verumtamen etsi infirmi »sumus redditi, non usque adeo gerimus otia, ut »non quos possumus, decipere moliamur. Nunquam quippe quiescimus adversari generi vestro, serentes malas cogitationes in animabus eorum, qui contra nos decertare contendunt. Et si nobis titillantibus annuere eos ex parte aliquid senserimus, tunc amplius nequissimas cogitationes immittimus, et diversarum voluptatum incendia ministramus: et ita praeliantes acerrime, subintramus eos, nostraeque plenius potestati subiicimus. Si vero viderimus ea quae »suggeruntur a nobis, eos e contrario non solum »non suscipere, verum nec libenter attendere fideque quae in Christo est, vigilanter et sobrie »se munire, sicut fumus dissipatur in aere, sic »ab eorum cordibus pellimur et fugamur. Non »omnibus etiam viribus nostris permittimur cum »omni homine congredi, quia non omnes possunt »nostros impetus sustinere. Nam si concederetur »nobis passim contra omnes nostra fortitudine »depugnare, multos possemus, qui nunc tuo fo»ventur labore, decipere. Sed quid agimus? quia »iuvantur precibus tuis, et virtute atque poten»tia Crucifixi muniuntur«.

Cum quidam frater venisset ad unum de Patribus, eique dixisset: »quia a cogitatione sua

»affligeretur; dixit ei senex[1]): Tu proiecisti in »terra ferramentum magnum, quod est timor »Dei, et accepisti in manu tenere arundineam »virgam, hoc est cogitationes malas. Accipe ergo »magis tibi ignem, qui est timor Dei. Et quando »tibi approximabit cogitatio mala, velut calamus »igne timoris Dei comburetur; neque enim prae»valet malitia adversus eos, qui habent timorem »Dei. Timor enim Dei odit malum et viam pra»vam[2]) et expellit peccatum[3]) sive quod iam »admissum est«, inquit S. Bernardus[4]), »sive »quod tentat intrare. Expellit sane, illud quidem »poenitendo, hoc resistendo«.

Scribit Palladius[5]) solitum Abbatem Apollinem docere »quotidie ornari virtutibus, et »machinas diaboli in cogitationibus in principio »protinus propulsare. Contrito enim capite ser»pentis totum corpus est mortuum. Iubet enim »Dominus ut observemus caput serpentis: id au»tem est, ne in principio admittamus malas et »turpes cogitationes, non solum ut obscoenas »animi nostri phantasias deleamus«.

Porro haec vehementia resistentiae, initio tentationum seu cogitationum malarum, repellens eas vel motus pravos nos ad peccata inclinantes,

---

[1]) Vit. Patr. lib. 5. libel. 11. n. 53. (Ros. pag. 612. num. 53). [2]) Prov. 8, 13. [3]) Eccli. 1, 27. [4]) De divers. affect. anim. [5]) Hist. Lausiaca cap. 52. (Ros. p. 748. col. 1.).

oritur tanquam a radice, a ratione (mota a Dei gratia) proponente vivo quodam modo voluntati foeditatem et gravitatem peccati, ac necessitatem illud vitandi. Ideo S. Thomas disputans [1]), quomodo in prima sanctificatione Beatae Virginis Mariae fuerit eius fomes ligatus, ait, »eum »non fuisse ligatum per actum rationis suae, si»cut in viris sanctis, quia non statim habuit »usum liberi arbitrii, adhuc in ventre matris exi»stens, hoc enim est speciale privilegium Chri»sti«.

Sed notandum est hoc loco, istum actum rationis, quo repellitur tentatio [2]) vel mala cogitatio, etsi sit actus liber noster, tamen eum in repellendis tentationibus praesertim gravibus non procedere a sola virtute naturali liberi arbitrii, verum principaliter a Deo per auxilia gratiae suae [3]), cogitationem illam piam excitantis, vel inspirantis orationem, qua impetretur repulsio tentationis, et victoria de ea. Et talia auxilia gratiae ad novum peccatum evitandum semper omnibus adsunt, ut solide probat Bellarminus. Nam ut bene ait S. Innocentius Papa [4]): »Quotidiana praestat ille praesidia, quibus nisi »freti confixique nitamur, nequaquam humanos »vincere poterimus errores«. Ita enim ait S.

---

[1]) P. 3. q. 27. art. 3. [2]) Bellarm. de grat. et libero arb. l. 5. c. 7. [3]) Ibidem lib. 2. c. 7. [4]) Epist. ad conc. Carthag. 91. apud August.

Hieronymus[1]): »Deus concessit liberum ar»bitrium, ut suam per singula opera gratiam »non negaret«. Quod Orosius Cordubensis (solitus citari a theologis in materia de gratia) luculenter expressit in concilio Palaestino apud Diospolini habito: »Mea«, inquit, »semper haec »est fidelis atque indubitata sententia, Deum »adiutorium suum non solum in corpore suo »quod est Ecclesia, (cui specialia ob credentium »fidem gratiae suae dona largitur) verum etiam »universis in hoc mundo gentibus, propter lon»ganimem sui aeternamque clementiam submini»strare quotidie per tempora, per dies, per mo»menta, per atoma, et cunctis, et singulis«. Quae Sanctorum dicta in illis tentationibus peccatorum repellendis locum habent, dum per cogitationes pias eae vincuntur, et sic peccata vitantur: et veluti cuneus diaboli, cuneo gratiae Christi excutitur. In quo modo vitandi peccatum et resistendo tentationi, non tantum illa superatur, sed etiam iustus aliquid a Deo meretur, ob piam illam cogitationem, si ob finem aliquem supernaturalem fiat, vel Dei amorem, vel ut obediatur Deo prohibenti illud peccatum, vel ob amorem virtutis illi peccato contrariae. Et tunc Deus facit »cum tentatione proventum«, ut ait Apostolus[2]).

[1]) Ep. ad Cyprianum Presbyt. 140. [2]) Cor. 10, 13.

CAPUT VII.

Dei providentia amovens occasiones peccatorum, et non permittens saevire diabolum, et faciens nos frequentibus virtutum actibus vacare, plurimum confert ad vitanda frequentia peccata.

Decimum tertium medium. Etsi necessarium sit auxilium Dei speciale, inquit Bellarminus[1], ad vincendum tentationes cum eae vincuntur per internam illustrationem vel motionem supernaturalem, tamen vitari possunt peccata aliis quoque modis divinae providentiae, dum Deus removet occasiones peccandi, vel dum non permittit diabolum saevire »quantum vellet«. Et hac ratione, ut bene docet cum aliis Suarius[2] in Beata Virgine fuit fomes peccati extinctus partialiter, per actualem et extrinsecam providentiam Dei vel impedientem obiecta quae possent motus inordinatos ad peccatum allicientes excitare, vel negando suum concursum ad eosdem. Quamvis enim gratia et virtutes inhaerentes animae Beatae Virginis etiam iuverint, ne unquam peccaret, tamen per se solae non potuissent efficere, ut existens obiectum et applicatum appetitui, (qui naturaliter

---

[1]) De grat. et lib. arb. lib. 5. c. 7. [2]) Tom 2. p. 3. q. 27. d. 4. s. 5. §. advertendum secundo.

operatur, non libere, et dum habet omnia requisita ad operandum, scilicet obiectum, et concursum Dei, statim operatur) illum non moveret: nisi per actualem motionem a superiori potentia contineretur. Sicut enim vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum, ita nec virtutes licet perfectissimae sint, non possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, interdum rationi repugnantia et motus inordinatos peccati inductivos excitantia. Cum autem in via non possit semper homo Deum clare non videns, eum semper actualiter amare, nec per rationem superiorem de omnibus agendis semper considerare, nec per se queat omnes occasiones peccati praevenire, ne appetitus excitetur prius quam ratio vigilet: ideo necessarium est Dei auxilium, quod hominem custodiat, ne obiecta mala se offerant, et ne daemon infestet.

Explicat hoc S. Augustinus de peccato contrario castitati, quod locum habet in omnibus peccatis dicens[1]): »Adulter non fuisti, hoc »tibi dicit Dominus Deus tuus: regebam te mihi: »servabam te mihi: ut adulterium non commit»teres: suasor defuit, et ut suasor deesset ego »feci: locus et tempus defuit, et ut haec dees»sent, ego feci«. Hoc petit S. Ecclesia in missa et officio Dominica septima post Pentecosten: »Ut noxia cuncta submoveas«: et Dominica

[1]) Lib. 50. hh. h. 33.

quarta decima, »ut humana mortalitas, tuis sem»per auxiliis abstrahatur a noxiis«. Hoc petimus dicendo: »Ne nos inducas in tentationem«: id est, ne tentemur tanquam infirmi et debiles, uti Maldonatus explicat citans pro hac sententia, Tertullianum et Cyprianum[1]), Augustinum[2]), Chrysostomum[3]). Hoc Christus docuit[4]): »Orate, ne intretis in tentatio»nem«.

Huc spectat clausura aedium religiosarum[5]) a multis enim peccatis per eam praeservamur. Ideo David ex Barsabea visa occasionem tot peccatorum accepit. Vasquez[6]) vero tria genera mediorum ponit, per quae Deus facit, ut vitemus peccata: nempe »defectum externae oc»casionis et obiecti allicientis ad peccatum: de»fectum suasionis aut denique bonum motum et »affectum quem Deus in nobis sine nobis ope»ratur, hoc est, primum motum non deliberatum »amoris aut timoris«.

Decimum quartum medium, per frequentationem actionum bonarum quasi semper continuatarum, per quas dum se offert interna vel externa species aut obiectum peccati, impeditur ingressus peccati et consensus in illud.

---

[1]) De orat. Dominica. [2]) De bono praes. cap. 6. [3]) Hom. 20. in Matth. [4]) Matth. 26, 41. [5]) Qua de re vide Platum lib. 1. c. 5. et 16. [6]) Tom. 2. in 1. 2. disp. 189. num. 74.

»Tantum abstinemus a malis«, inquit S. Bernardus[1]) »in quantum ad bona studemus«. Nam ut ait S. Thomas[2]): »Per quodlibet bo»num« (scilicet, bonam actionem) »potest homo »impediri a peccato«. Ideo merito S. Petrus[3]) hoc medium suis ad non peccandum proponit: »Satagite, ut per bona opera vestra certam ve»stram vocationem et electionem faciatis. Hoc »enim facientes, non peccabitis aliquando«: id est nunquam, seu ut est in graeco μὴ πταίσητε, »non labemini«, seu, »non impingetis«; nie potkniecie się. Ideo qui Dei beneficio raro peccant, in perpetua multiplicatione bonorum operum se occupant, Christumque imitantur, qui de se ait[3]): »Ego quae placita sunt ei, facio semper«.

Porro sanctae actiones duobus modis peccatorum frequentiam impediunt.

I⁰ Per modum meriti, quia impetrant a Deo gratiae auxilia ad evitanda peccata.

II⁰ Positive, impediendo ne animam intrent. Hinc S. Thomas ait[4]): »Oratio et ieiunium »praeservant a quibusdam peccatis, non solum »per modum meriti, quod etiam eleëmosyna fa»cit, sed per modum contrariae assuetudinis«. Sicut enim lux fugat tenebras, calor frigus; sic actio bona vigens in anima, et quasi locum in

---

[1]) Tract. de vita solitar. col. 28. [2]) II-a II-ae q. 105. a. 2. ad 2. [3]) 2. Pet. 1, 10. [4]) In 4. d. 15. q. 2. art. 2. ad 2. q. ad 1.

ea occupans, praecludit aditum actioni malae peccati. Unde uti supra vidimus, dixit S. Thomas[1]): »Per quodlibet bonum potest homo impediri »a peccato«.

Occupanda est ergo mens semper bono aliquo opere, ita per illud praecludetur aditus peccato. Quod si occupatis sese tentatio ingeret ad peccatum pellıciens, oratione accersendum est Dei auxilium, uti supra dictum: Deus praesto aderit, ut resistamus peccato. »Non potes dice»re«, inquit S. Chrysostomus[2]), »non pos»sum, neque accusare conditorem. Si enim im»potentes nos fecit, et deinde imperat, culpa eius est, quomodo ergo, inquis, multi non pos»sunt? quomodo ergo multi nolunt? Si enim »voluerint, omnes poterunt; habemus quippe co»operatorem et adiutorem Deum; tantum veli»mus, tantum opere accedamus ad rem ipsam«. »Deus enim«, inquit S. Hieronymus[3]), »ita »concessit liberum arbitrium, ut suam per sin»gula opera gratiam non negaret. Quocirca iuste »instat praecepto«, ait S. Leo, »qui praecurrit »auxilio«.

---

[1]) II-a II-ae q. 105. a. 2. ad 2. [2]) Hom. 16. in ep. ad Hebr. §. secundum medium. [3]) Ep. ad Cyprianum Presbyterum 140.

CAPUT VIII.

Excellentia virtutum, et vivax cognitio foeditatis peccati, impedit frequentem in peccata lapsum.

Decimum quintum medium: Frequentem in peccata lapsum impedit excellentia virtutum infusarum et acquisitarum, per multos actus, praesertim heroicos congregatarum.

Pulchre hoc explicat S. Bernardus[1]): »Cum »tres sint hominis stratores« (hoc est, qui illum solent prosternere, inducendo ad aliquod peccatum) »horum diabolus livore malitiae, mundus »vero vanitatis, homo semetipsum pondere suae »corruptionis« (hoc est, volubilitate liberi arbitrii, etiam sine tentatore, daemone, et mundo, saepe peccantis, ut docent SS. Patres) »impellat »etc. si virtus perfecta sit, facile facit animum »victorem sui, et sic invictum reddit ad omnia. »Est quippe vigor animi« (scilicet virtus) »ce»dere nescius, pro tuenda ratione. Aut si magis »probas, vigor animi immobiliter stantis cum ra»tione vel pro ratione. Vel sic: vigor animi, »quod in se est, omnia ad rationem cogens vel »dirigens«. Cum ergo omne peccatum est repugnans rationi, ut ait S. Thomas, dum virtutes in

[1]) Ser. 85. in Cant.

gradu excellenti vires suas exerent, per actiones quas producunt, ita peccata impedientur, ut rarissime in ea labi contingat ex fragilitate humana et subreptione, eo quod in hac vita mortali mens non possit semper praevenire et effugere occasiones inductivas peccati, et dum uni parti attendit, impetitur ex alia, et quandoque labitur. Dum autem non labitur tentatione invadente, Dei gratiae auxilio per contrarias bonas actiones peccatum repellit et vincit. Nam ut bene docet Suarez[1]) ex communi theologorum et philosophorum moralium doctrina: »Eadem virtus quae est principium operandi bonum, est principium ad resistendum contrariis«. Vel ut ait Vasquez[2]): »prohibet actus contrarios, qui per se contrarii sunt ipsi virtuti: et »ne occasionem alteri praebeamus peccandi in »ea materia«. Ideo quo quis est sanctior et magis intensas habet virtutes infusas et acquisitas in gradu alto, eo difficilius inclinatur et perducitur ad peccandum, ideoque rarius peccat. Atque ita S. Thomas[3]), inter media quibus liberum arbitrium confirmatur in via, ut difficile peccet, hoc ponit: »Per gratiam viae potest »homo ita bono astringi, quod nonnisi valde difficile peccare possit, per hoc, quod ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, et vo-

[1]) De grat. tom. 1. l. 2. c. 25. n. 5. [2]) T. 1. in 1. 2. disp. 102. n. 21. [3]) De verit. qu. 24. a. 9.

»luntas in Deum fortius inclinatur, et ratio per»ficitur in contemplatione veritatis divinae«. Et alio in loco [1]): »Per virtutes et dona excludun»tur sufficienter vitia et peccata, quantum ad »praesens et futurum, in quantum scilicet impe»ditur homo per virtutes et dona a peccando: »sed quantum ad praeterita peccata, quae tran»seunt actu, et remanent reatu, adhibetur homini »remedium, specialiter per sacramenta«.

Quoniam vero peccata contingunt in homine, vel contra aliquam ex virtutibus theologicis, vel contra aliquam virtutem moralem: »Virtutes ac»quisitae morales«, ut docet S. Thomas [2]) »per»ficiunt hominem ad ambulandum secundum quod »congruit lumini naturalis rationis: virtutes vero »infusae perficiunt hominem ad ambulandum se»cundum quod congruit lumini gratiae«: Nullum autem peccatum fit ab homine, quod non adversetur vel lumini naturali rationis, vel supernaturali gratiae: quocirca utraeque virtutes armant hominem, si sunt in gradu excelso, ne facile peccet, ac proinde ne frequenter peccet; frequentia enim peccati oritur ex facilitate magnae inclinationis ad peccandum, quae per virtutes eximias tollitur, et ut supra dictum est, et S. Augustino [3]) concupiscentia tanto minus surrepit, quanto quis in virtute magis processerit.

---

[1]) P. 3. q. 62. a. 2. ad 2. [2]) I-a II-ae q. 110. a. 3. [3]) Cf. nonum medium.

Ideo theologi, uti Suarez[1]), dum probant in B. Virgine fuisse et ligatum et extinctum fomitem concupiscentiae, et illam redditam fuisse etiam ab intrinseco principio impeccabilem, id ortum in ea dicunt, tum ab extrinseca Dei providentia, qua custodiebatur, ne se illi offerrent obiecta sensibilia quae in appetitu sensitivo solent excitare motus inordinatos rationi et virtuti repugnantes, tum a negato concursu Dei ad illos, etiamsi obiecta talia occurrerent, tum ab auxiliis divinae gratiae, per que perpetuo operabatur sancte omnia, tum ab eximiis habitibus virtutum, et donorum Spiritus Sancti animae eius inhaerentibus, quorum quoque beneficio permanenter ita confortabatur, ne in ullum unquam peccatum labi potuerit in sensu composito, etsi in sensu diviso (quia liberum arbitrium habuit simile hominibus viatoribus) potestate antecedente peccare potuerit, potestate tamen nunquam reducta, nec reducibili ad actum peccati etiam venialis perfectiore modo, quam dixerit Ioseph castissimus, se non posse peccare[2]) et quam illi iusti de quibus scribitur[3]): »Omnis »qui natus est ex Deo, peccatum non facit et »non potest peccare« et iterum[4]): »Nulla creatura »poterit nos separare a caritate Dei« et quam alii a me commemorati in opusculo de indiciis

[1]) T. 2. p. 3. q. 27. d. 4. s. 5. [2]) Gen. 39, 9. [3]) 1. Ioan. 3, 9. [4]) Rom. 8, 39.

et gradibus profectus in virtutibus [1]). Ex hoc principio S. Thomas [2]) deducit, in Christo non fuisse fomitem peccati: »quia habuit perfectis»sime gratiam et omnes virtutes. Virtus autem »moralis quae est in rationali parte animae, eam »facit esse rationi subiectam, et tanto magis, »quanto perfectior fuerit virtus: ad rationem au»tem fomitis pertinet inclinatio sensualis appeti»tus in id quod est contra rationem. Et quanto »virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto »magis in eo debilitatur vis fomitis«. Cum autem potissimum ex fomite peccata nascantur, et eius motus inordinati libere acceptati sint peccata, dum per virtutes eximias fomes minuitur, et quasi ligatur, rariores ex eo motus peccaminosi profluunt, et ideo raro peccant pleni excellentissimis virtutibus. De talibus enim adultis asserimus, eos raro in peccata labi, qui eximiis virtutibus sunt imbuti non ordinariis nec vulgaribus; per actus enim earum, qui in eis divinae gratiae beneficio in minima quaque occasione excitantur, et producuntur ab habitibus, impeditur accessus peccati, sicut per ipsos habitus inhaerentes, diminuitur inclinatio ad peccatum ex fomite pullulans, antequam ipsi actus virtutum ab eis producantur.

Decimum sextum medium: Vivax cognitio ac cogitatio foeditatis et

[1]) Cap. 1. signum duodecim. [2]) P. 3. q. 15. a. 2.

gravitatis peccati, facit, ne in peccata saepe labantur, ea cognitione divinitus illustrati, tum ante occasionem peccati se offerentem, tum dum ea offertur menti soli, vel etiam sensibus.

Haec cognitio necessaria est etiam in peccatis internis, quae non tam ex obiectis sensibilibus nascuntur, per motus inordinatos in fomite excitatos, quam ex libertate arbitrii, quod potest sine obiecto extrinseco ferri in rem malam mente apprehensam, et ei consentiendo peccare. Qui autem beneficio divinae gratiae habet valde claram et profundam et intensam cognitionem gravitatis et foeditatis cuiusvis peccati, eius memoria exurgente, per simplicem apprehensionem intellectus, dum ei representatur. statim ex tali cognitione ei simili divinitus excitata, nascitur in voluntate horror peccati et fuga illius. Sicut e contrario ut ait S. Thomas[1]: »Omne pec»catum contingit ex defectu cognitionis«, scilicet, qua cognoscatur eius turpitudo, et gravitas, et mala quae parit in hac et in altera vita. Hinc illud dictum philosophorum manavit: »Omnis »peccans ignorans«, hoc est, non considerans, quantum malum sit peccare dum peccat: alioqui vitaret peccatum, sicut quilibet vitat potum vini dulcissimi, si credat in eo esse venenum, statim enecaturum bibentem, vel morbum gravissimum et molestissimum allaturum. Sic cognitio veneni,

[1]) I-a II-ae q. 77. a. 2.

quae est in colubro, facit, ut eo viso statim ab eo quivis fugiat, si adsit morsus periculum. Unde Spiritus Sanctus monet [1]): »tanquam a facie co»lubri fuge peccatum«.

Tali viva cognitione praediti, vitabant peccata. S. Iustinus Martyr scribit [2]): christianos primos maluisse mori, quam vel semel mentiri. S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis dicebat [3]): »Malo insilire in rogum ardentem, »quam peccatum ullum sciens admittere«. B. Catharina Genuensis hoc dedit monitum: »Cer»tum habe, quod si quis cerneret, quam enorme »unum tantum peccatum sit, potius eligeret ani»ma et corpore in succensa fornace vivus con»sistere, quam in se peccatum tolerare: et si »universum mare ignis esset, ad effugiendum »peccatum, sese in medium eius usque ad fun»dum demergeret, neque inde unquam prodiret, »si sciret, quod prodiens, peccatum in se esset »conspecturus«.

Plus adhuc dixit S. Anselmus [4]): »Si hinc »peccati pudorem, et illinc cernerem inferni hor»rorem, et necessario uni illorum haberem im»mergi, prius me in infernum immergerem, quam »peccatum in me committerem«.

Et adhuc quiddam mirabilius protulit in libro de beatudine [5]): »Mallem purus a peccato et

[1]) Eccli. 21, 2. [2]) Apol. 1. n. 39. [3]) Vit. cap. 12. [4]) Vit. de simil. c. 190. [5]) Ibidem c. 19.

»innocens gehennam intrare, quam peccati sorde »pollutus, caelorum regna tenere«.

Unde mirum non est fratrem nostrum Alphonsum Rodriquez »divinitus fuisse »edoctum«, (ut scribitur in eius vita [1]), »omnia »mala huius vitae etiam inferni poenas, esse po»tius tolerandas, quam unum leve peccatum com»mittendum: ideoque a Deo ardentissime pete»bat, ut potius se ad inferni poenas millies de»truderet, quam permitteret labi in peccatum ve»niale«. Cur? quia uti scriptum reliquit S. Theresia [2]: »Maius malum nascitur ex uno peccato »veniali, quam a toto simul inferno«: scilicet offensio infinitae divinae maiestatis, cui adeo obligati sumus, ut omittam mala alia.

Qui ergo talem de peccati cuiusvis etiam minimi foeditate et gravitate cognitionem habet, raro peccabit, et tunc non peccabit, quando bene in occasione peccati considerabit malitiam peccati. Ideo experimur nos post profundam de peccatis meditationem, vel alterius ferventem concionem, valde abstinere a peccatis. Qui ergo hanc cognitionem semper secum circumferet et excitabit in occasionibus peccati, Deo adiuvante non peccabit, et pia cogitatione occupatus abigit cogitationem ad peccatum allicientem.

Pulchre hanc luctam et pugnam cogitationum explicat S. Macarius Aegyptius [3]: »Veluti

[1]) Lib. 2. c. 23. [2]) Vit. c. 25. ante fin. [3]) Hom. 1.

»enim in cursu stadiorum currus antevertens im»pedit, reprimit atque prohibet alterum, ne pro»grediatur et palmam praeripiat: sic et cogita»tiones animae et peccati currunt in homine. Si »ergo contingat cogitationem peccati praecedere, »id impedit, avertit et prohibet animam, ne ap»propinquet Deo, et victoriam adversus pecca»tum reportet; ubi vero Dominus ipse inscendat »et gubernet animam, semper illa victoriam con»sequitur, regens et ducens scienter currum ani»mae per omnia ad coelestes et divinas contem»plationes. Ducuntur animae Sanctae et reguntur »a Spiritu Christi, qui dirigit illas, quo vult, et »interdum pro voluntate sua per coelestes cogi»tationes, interdum per corpus. Quemadmodum »enim pedes volucrum sunt alae, sic coeleste lu»men Spiritus (de quo hic agitur tamquam prae»cipuo Dei gratiae auxilio ad vitanda peccata) »accipit alas cogitationum dignarum animae, »eamque dirigit ac ducit prouti ipse novit«. Prima autem directio Spiritus S. interna est per cogitationes pias, his enim excitat voluntatem ad vitanda peccata, et facienda bona opera, iuxta illud S. Augustini[1]): »Cum a Deo il»lius adiutorium deprecamur ad faciendam per»ficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, »quam ut aperiat quod latebat« (scilicet, ut det cognitionem efficacem rerum fugiendarum et

[1]) De pecc. mer. cap. 19.

faciendarum) »et suave faciat« (voluntati) »quod »non delectabat«? Et ita S. Chrysostomus inter modos vitandi peccata, etiam hunc ponit[1]), de quo ago: »Mentem«, inquit, »doceamus nihil »advertere noxium. Verum, et si quid huiusmodi »extrinsecus inferatur, hoc quasi superfluum et »nocivum repellere: et, si nascatur intrinsecus, »pia cogitatione statim fugare«. Sapientissime divina providentia ordinavit modum fugandi et vitandi peccata, per pias considerationes et cogitationes, quibus detegitur infascinatio peccati, offerentis se nobis sub specie et pallio alicuius boni, quia ut ait S. Dionysius, »nullus ad ma»lum respiciens operatur«. »Non potest«, inquit S. Thomas[2]), »esse peccatum, in motu voluntа»tis, scilicet, quod malum appetat, nisi in appre»hensiva virtute defectus praeexistat«: (scilicet in consideratione et cogitatione) »per quem sibi »malum ut bonum proponatur. Hic autem de»fectus in ratione dupliciter potest accidere: uno »modo, ex ipsa ratione, quae circa bonum par»ticulare errare potest: ut aestimet aliquid esse »finem, quod non est finis: vel esse utile ad »finem, quod non est utile: et propter hoc, in »voluntate, in hoc vel illo fine appetendo, aut »in hoc vel illo utili eligendo, incidit peccatum »voluntatis. Alio modo, ex aliquo extrinseco ra»tio deficit, cum propter vires inferiores passio-

[1]) Hom. 71. ad pop. [2]) De verit. q. 24. a. 8.

»num, quae intense moventur in aliquid, interci»pitur actus rationis, ut non limpide, et firmiter »suum iudicium de bono voluntati proponat. »Sicut cum aliquis habens rectam aestimationem »de castitate servanda, per concupiscentiam de»lectabilis, appetit contrarium castitati propter »hoc, quod iudicium rationis aliqualiter a con»cupiscentia ligatur, ut philosophus dicit« [1]).

Atque hinc S. Thomas [2]) deducit causam, ob quam beati in caelo nunquam peccent, »quia »ibi uterque istorum defectuum totaliter a bea»tis tollitur, ex coniunctione ipsorum ad Deum. »Nam divinam essentiam videntes, cognoscunt »ipsum Deum esse finem maxime amandum. »Cognoscunt etiam omnia quae ei uniunt, vel »quae ab eo disiungunt in particulari, cognoscen»tes Deum non solum in se, sed etiam prout »est ratio aliorum: et hac cognitionis claritate, »in tantum mens roborabitur, quod in viribus »inferioribus nullus motus insurgere poterit, nisi »secundum regulam rationis. Unde sicut immu»tabiliter bonum in generali appetimus, ita immu»tabiliter in particulari bonum debitum appetunt »beatorum mentes. Supernaturalem vero inclina»tionem voluntatis facit in eis caritas perfecta, »totaliter ligans eos cum Deo. Unde nullo modo »in eis peccatum incidere poterit: et sic erunt »plene in gratia confirmati«.

[1]) Ethic. 7. [2]) De verit. q. 24. a. 8.

Merito ergo S. Augustinus[1]) observavit, homines raro in ea peccata labi quae maxime horrent (quia eorum foeditatem intime agnoscunt) uti est blasphemia, parricidium, odium Dei: alia vero frequenter committunt, quia non agnoscentes eorum foeditatem, ab illis non ita abhorrent. Ex qua doctrina clare cognosci potest, eos raro in peccata labi, qui divino beneficio habent magnam cognitionem divinae maiestatis, et quantopere sit colenda sine ulla admixtione peccati, et cognitionem foeditatis ac gravitatis cuiusvis peccati, et qui in omnibus actionibus suis procedunt circumspecte, et tempus totum in piis actionibus, Dei praesentiae recordatione conditis, expendunt, et habent intensos habitus virtutum, denique, qui mediis omnibus supradictis utendo, proxime ad statum beatorum accedunt.

Merito etiam S. Chrysostomus dixit[2]): »Hinc nobis multa peccata nascuntur, quod non »celeriter animae lucernam accendamus: hinc fit, »ut singulis diebus offendamus, hinc fit, ut te»mere et perfunctorie multa mente comprehenda»mus«. Per lucernam autem intelligit rerum divinarum notitiam et doctrinam, quam in nobis Spiritus Sanctus et concionator accendit, eaque domum mentis nostrae illuminat: ut sciamus quae sint vitanda, quae facienda.

---

[1]) In Enchir. [2]) Hom. de Sanctis. Martyr.

CAPUT IX.

Perpetua vigilantia ne peccemus, et cura, ut modo hoc modo aliud peccatum eliminemus et eradicemus, affectum ad peccata valde arcet.

Decimum septimum medium ad vitanda et arcenda peccata, est perpetua vigilantia ne peccemus. Talis erat in nostro Sancto Patre Ignatio, de quo sic Maffeius scribit [1]): »In perpetua erat vigilia contra omnes »rerum mortalium illecebras, et otiosam mentis »evagationem. Nec minus accurate animum ab »omni labe tuebatur, quam qui pretiosis ornati »vestibus via lutulenta coguntur incedere«. Talis vigilia in Sanctis fuit perpetua, et arcebat ab eis peccata. Nam ut S. Chrysostomus ait [2]): »Sanctorum animae priusquam ad peccatum per»veniant, refrenantur, eo quod sobriae sint« (scilicet in usu creaturarum) »semperque vigilent«. Ideo, ut alibi idem Sanctus scriptum reliquit [3]): »Nullus vigilans unquam laesus est: pastores »etiam non praesentibus lupis, praesident: canes »sequuntur, licet ferae non adsint«. Sed etsi in omni occasione vigilandum est nobis ne in

---

[1]) Lib. 3. cap. 1. [2]) De Saule et Davide tom 1. [3]) Hom. 22. ad populum.

peccata labamur, potissimum tamen in iis in quae labi solemus. Praeclare monet Seneca[1]): »Videamus quid sit, quod nos maxime concitet. »Alium verborum, alium rerum contumeliae mo»vent. Hic vult nobilitati suae, hic formae suae »parci; ille elegantissimus haberi cupit; ille »doctissimus; hic superbiae impatiens est, hic »contumaciae. Ille servos non putat dignos, qui»bus irascatur; hic intra domum saevus est, fo»ris mitis. Ille rogari iniuriam iudicat: hic non »rogari contumeliam. Non omnes ab eadem parte »feriuntur. Scire itaque oportet, quid in te im»becillum sit, ut id maxime protegas«. Illi enim rei maxime insidiatur daemon. Qua de re sic Sanctus Pater Noster Ignatius[2]) in exercitiis spiritualibus nos praemonuit: »Solet adversarius »imitari aliquem belli ducem, qui obsessam ar»cem expugnare atque depraedari cupiens, ex»plorata prius natura et munitione loci, debilio»rem partem aggreditur. Sic nimirum et ille cir»cuit animam, et callide inquirit, quarumnam »virtutum praesidiis, moralium scilicet aut theo»logicarum, ipsa vel munita vel destituta sit: »eaque potissimum parte machinis omnibus ad»motis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in »nobis minus caeteris firmatam custoditamque »esse praeviderit«.

Quocirca vigilandum nobis est, ea potissimum

---

[1]) De ira l. 3. c. 10. [2]) Regula ad spir. dignosc. 14.

in parte, ex qua nos experti sumus ab hoste nostro sauciatos. »Habemus enim hostem perpe»tuum«, inquit S. Chrysostomus[1]), et foe»deris nescium. Unde nobis magna vigilantia »opus est, ita, ut eius fraudes vincere, et supe»riores eius telis constitui possimus etc. Neque »enim vi sua et necessitate nos vincit, sed de»ceptione sola. Non autem decipiemur, si parum »esse vigiles voluerimus. et nosmetipsos atten»derimus: non quod nobis tanta sit potestas, sed »quia tunc superna gratia nobis affulget. Nam »si quod nostrum est fecerimus, sequentur et »omnia, quae Dei sunt«. Quando autem haec vigilantia adhibenda sit, docet S. Theodorus Studita[2]): »Expedit«, inquit, »constituta habere »quae formides ante terrorem, ut egregie bello »commisso prodeamus in aciem, facilis est enim »animus vinci imparatus, qui haud procinctus »derepente ineat certamen«.

Decimum octavum medium est, fugere ea quoque quae etsi videntur licita, solet tamen incaute procedens eis abuti, et sic ad peccata delabi. »Agnoscamus«, inquit S. Chrysostomus[3]) »laqueos venatoris dia»boli, et ab ipsis procul eamus. Agnoscamus „praecipitia nec appropinquemus. Hoc maximae »securitatis erit vobis occasio, non tantum pec-

---

[1]) Hom. 60. in Gen. [2]) Ser. 116. [3]) Hom. 15. ad pop.

»cata fugere, verum et quae videntur media esse, »ad peccata vero nos supplantant: quale est, ri»dere et iocosa verba dicere. Non manifestum »quidem peccatum videtur, sed in manifestum »crimen inducit: nempe saepius ex risu turpia »nascuntur verba, a turpibus verbis, actiones tur»piores. Saepius ex verbis et risu, convicia et »contumeliae, de convicio et contumelia plagae »et vulnera«: (inter saeculares) »de vulneribus »et plagis, iugulationes et homicidia. Si tibi igi»tur bene consulturus es, non turpia tantum »verba, neque turpia tantum facta, neque plagas »et vulnera et homicidia, verum et ipsum intem»pestivum risum, et verba fugies scurrilia, quo»niam subsequentium radix talia esse solent. »Propterea Paulus inquit[1]): Stultiloquium et »scurrilitas ne prodeat ex ore vestro. Etsi nam»que per se parvum esse videtur, magnorum ta»men malorum nobis efficitur causa«. Et Abbas Pinuphius apud Cassianum[2]): »Ut unum»quodque peccatum possit extingui, causa atque »occasio per quam vel ob quam admissum est, »debet primitus amputari«. Id exemplis docet ibidem.

Hanc ob causam sancti viri abstinebant ab aspectu feminarum, et pulchrarum facierum: quia etsi id res sit media et ex se indifferens, tamen posita naturali inclinatione fragilitatis humanae,

[1]) Eph. 5, 4. [2]) Coll. 20. c. 10.

solet esse causa in multis magnorum peccatorum. »Nam qui amat periculum peribit in illo« [1]), ideo monet Spiritus Sanctus [2]): »Noli in faciem »virginis intendere, ne te scandalizet vultus eius«.

Decimum nonum medium est: Sensim modo hoc modo illud peccatum resecare. Nam verissimum est, quod ait S. Ioannes Climacus [3]): »Diminutio mali, mali »abstinentiam parit«. Hinc scripsit Thomas Kempensis [4]): »Si omni anno unum vitium »extirparemus, cito viri perfecti efficeremur«.

Vigesimum medium, eradicatio affectus ad peccata. Nam ut Abbas Theonas apud Cassianum ait [5]): »Vere do»minationem in illo non potest exercere pecca»tum, qui dominatur affectibus peccatorum«.

Confirmantur I° omnia supradicta, respondendo ad causas, ob quas quidam theologus docet [6]) non posse diu iustos vitare per longum tempus omnia peccata venialia, quamvis possit per totam vita vitare omnia lethalia. Has autem causas prudenter adfert, quae locum omnino habent in vulgo et fece iustorum tepidorum.

a) Quia occasiones peccatorum venialium frequentissimae sunt, secus mortalium.

b) Quia venialia ex surreptione possunt committi, absque plena deliberatione.

[1]) Eccles. 3, 27. [2]) Eccles. 9, 5. [3]) Grad. 26. col. vult. [4]) De imit. l. 1. c. 11. n. 5. [5]) Coll. 21. c. 30. fin. [6]) In concord. lib. arb. et grat. q. 14. a. 13. disp. 17.

c) Quia mens non potest esse in tam exacta et continua vigilantia adversus tam frequentes et multiplices occasiones, ut in singulis momentis longi alicuius temporis totum efficiat, quod deberet, ut omnia peccata vitet.

d) Quia homines torpescunt a tanto labore suscipiendo, eo quod sciant per peccata venialia non amitti Dei gratiam, nec incurri aeternum interitum, sicut sciunt per peccatum lethale utrumque incurri; ideo hoc vitant.

Quae quidem causae, omnino verae sunt et sufficientes ad hoc, ut iusti tepidi non possint longo tempore abstinere a peccatis venialibus. At nos hic agimus de talibus iustis, qui ex propria diligentia et labore, et ex perpetuis divinae gratiae auxiliis efficacissimis perpetuo sibi attendunt, et habendo maiorem horrorem cuiusvis peccati venialis quam inferni, toto conatu et cura, et pene assidua cogitatione, ne illud committant, et perpetua mentis occupatione in rebus divinis, praesertim in actibus cultus et amoris Dei quodam modo immersae, totum tempus quo vigilant, expendunt, et saepissime Deum orant, ne illos permittat in ullum peccatum labi, et dum peccandi occasio externa vel interna imaginatio aut cogitatio se ingerit, statim ab illa resiliunt, eam reiiciunt cum magno impetu et horrore, quantum in eis efficit Dei gratia et profunda cognitio foeditatis peccati et cuiusvis minimae Dei offensae.

»Sunt«, inquit B. Laurentius Iustinianus[1]) »aliqui, quamvis non multi numero com»paratione caeterorum, in omni virtute probati »et perfecti, qui pro consuetudine exercitatos »habent corporis et animae sensus. Hi quidem »pugnam sentiunt, sed impugnatori nequaquam »etiam in parvis voluntatis assensum praebent. »Tum quia Spiritus Sancti inhabitante gratia »sunt edocti: tum quia caritatis sunt vehemen»tissima flamma succensi, quae profecto illos ro»borat in certamine, ad profectum virtutum im»pellit, mentem trahit ad Christum, et meritorum »coronat triumphis«.

Denique omnia alia media supra allata, sunt directe opposita tanquam efficacissima antidota contra causas et occasiones supra commemoratas, quas tepidi negligendo, saepe in venialia labuntur peccata.

Confirmantur II° supradicta verbis ipsius Doctoris loco citato adiunctis: »Quia quo »quisque magis strenue a principio pugnat, eo »robustior evadit, maioribusque auxiliis a Deo »adiuvari solet, ut melius deinceps occasiones »peccatorum possit superare«.

Cum ergo ferventes Dei servi, toto conatu incumbentes fugiendis et vitandis peccatis, strenue quavis hora invigilent, ne ullo modo peccent, et ad primam etiam in somnis dum dormiunt

[1]) De instit. et regim. praelatorum c. 14. post init.

peccati representationem, sentiant in se ex divinae gratiae auxiliis, repentinum horrorem peccati cuiusvis, semper robustiores evadunt ad illud repellendum, et hac ratione, mediis divinis supra enumeratis, modo hoc, modo illo corroborati, resistunt peccato, et mundam ab illo animam diu conservant.

Confirmantur III° supradicta aliis verbis eiusdem ibidem subiunctis [1]): »Quia ipsa gratia »et caritas habitualis ad bonum inclinat, adiu»mentoque per se ipsam est, ut homo a pecca»tis abstineat«. Atqui iusti ferventes, perpetuo bene operando, acquirunt augmentum gratiae et virtutum et donorum Spiritus Sancti, itaque perpetuo habent internos habitus per quos inclinantur ad abstinendum a peccatis, et ad eliciendos actus virtutum, qui excludunt peccata, et aditum eis praecludunt quia ut supra [2]) dictum est ex S. Thoma [3]): »Per quodlibet bonum po»test homo impediri a peccato«. Ideo merito Spiritus Sanctus hoc nobis frequentium bonorum antidotum contra frequentia peccata commendat [4]): »Satagite, ut per bona opera vestra, »certam vestram vocationem atque electionem »faciatis: Hoc enim facientes, non peccabitis »aliquando«: id est, nunquam peccabitis. Sed

[1]) Idem repetit. disp. 20. col. 3. [2]) Cap. 7. Medium 14. [3]) Cap. 2. §. 14. et II-a II-ae q. 105. a. 2. ad 2. [4]) 2. Pet. 1, 10.

quia in huius vitae fragilitate et occupationibus variis non possumus totius vitae momenta in bonis operibus traducere, ideo nonnunquam etiam sanctissimi viri in aliqua pauca et indeliberata labuntur peccata ex surreptione vel ignorantia. Haec dicta sint salvo meliore iudicio.

INDEX CAPITUM.

Pag.

Praefatio ad lectorem 1

LIBER PRIMUS.

Quas ob causas fugienda et vitanda sunt venialia.

Prooemium 3

Caput I. Omne peccatum est morte corporis peius 5

Caput II. Omne peccatum est peius inferno . . 10

Caput III. Omne peccatum habet quandam malitiam et offensam Dei quodam modo infinitam 21

Caput IV. Peccata venialia varie disponunt ad mortalia 39

Caput V. Peccata venialia impediunt profectum in virtutibus 60

Caput VI. Consuetudo parvi faciendi venialia facit, ut non curetur lapsus in mortalia 78

Caput VII. Moyses ob solum peccatum veniale graviter a Deo punitus, ostendit gravitatem peccati venialis 99

Caput VIII. Ad vitanda peccata venialia deliberate commissa hoc etiam motivum esse debet, quia sunt causa gravissimarum calamitatum, quibus integra regna per multos annos de-

Pag.

struuntur per hostes, per milites, per pestillentiam, per incendla, per famem et his similia. In primo apparuit in Davide etsi esset vir secundum cor Dei 114

Caput ix. Gravitatem peccati venialis Deus ostendit in punito gravissime ob illud Ezechia rege sancto, et toto regno illius 161

Caput x. Alia peccata venialia gravissime a Deo punita, in hac vita, eorum gravitatem ostendunt 207

Caput xi. Gravissimae purgatoriae poenae, quibus Deus post mortem peccata venialia iustorum, in hac vita non plane expiata, punit, indicant gravitatem peccatorum venialium, etiam quandoque valde levium 226

Caput xii. De fugiendis peccatis omnibus in cultu Dei 260

Caput xiii. De eadem materia vitandi peccata venialia in cultu Dei 280

Caput xiv. De fuga peccatorum mortalium . . . 296

LIBER SECUNDUS

de fuga peccatorum venialium.

Caput i. An et quomodo possint alliquo iusti adulti, vivere sine peccatis venialibus? 315

Caput ii. Per diligentem custodiam sensuum et potentiarum internarum nostrarum, homines Deus praeservat a frequenti in peccata venialia lapsu 359

Caput iii. Frequens imploratio divini auxilii ad praeservationem a peccatis necessaria, conducit ad vitanda frequentia peccata venialia . 366

Caput iv. Fuga rerum mundanarum, et studium Deo serviendi, ac desiderium proficiendi in

Pag.

virtutibus, et novissimorum memoria, iuvat, ne in frequentia peccata labamur 370

Caput v. Per sanitatem affectionis et affectum divinae charitatis et per moderationem passionum ac diminutionem fomitis impediuntur frequentia peccata 379

Caput vi. Sollicitudo assidua ne offendatur Deus, Deique praesentis memoria, et generosa repulsio tentationum nos invadentium prodest ad vitanda peccata 386

Caput vii. Dei providentta amovens occasiones peccatorum et non permittens saevire diabolum, et faciens nos frequentibus virtutum actibus vacare, plurimum confert ad vitanda frequentia peccata 395

Caput viii. Excellentia virtutum, et vivax cognitio foeditatis peccati, impedit frequentem in peccata lapsum 400

Caput ix. Perpetua vigilantia ne peccemus, et cura, ut modo hoc, modo aliud peccatum eliminemus et eradicemus affectum ad peccata valde arcet 412

240.83
L226
48426
LANCICIUS, S. J., NICOLAUS, VEN.
AUTHOR
De Fuga Peccatorum Venialium.
TITLE
Editio Recens Emendata.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

48426